DAUIDIS. ROMAEI SEPTEM. SANCTI CUSTODES. AC PRAESIDES. VRBIS...

Davide Romei



nè loquendo curabant. Quo circa de recentio ribus quamplurimi, cum ab hac perenni, con testataq. patrum nostrorum uirtute degenerauerint, dum interiores, disertasq. litteras latinas, eloquendique elegantiam scrutari cupiunt, hæc legere non curant, in manus non sumunt; à barbaris, & indoctis scriptoribus conscripta esse, dicunt. libros a ueteribus tantùm, & priscis illis Romanis à rep. Christiana auersis conscriptos peruoluntant, & lectitant, ac nostris interim reiectis, magno loquimur cum dolore, in religionis christianæ sanctissimæ obliuionem ueniunt, illorum opinionibus, studiis, superstitioneq. imbuti, ad eorum consuetudinem, moremq. deducuntur. vnde variæ, & discrepantes ab opinionibus nostris sen tentiæ, nouæ dissensiones, sectæ, hæreses. Quare loco huic, si possemus occurrere, pro nostra virili parte malo huic mederi decreuimus. non quod ego is sum, ut laborem hunc sustinere posse mihi persuaserim; verum ut meo exemplo docti, & eruditi uiri hoc idem faciant, & feliciter res eueniet. itaque sanctorum Neapolit. res non ineleganter, nec stylo fortasse malo conscribere aggressi sumus. Quæres forsitan prudentissime Pontifex, quis hanc anxam nobis dederit, quis hanc mentem iniecerit, vt sanctorum Neapolitanorum res potissimũ tractaremus. audi quæso rem. posteaquam Neapolim uenimus, numquam quieti fuimus, multis

multis difficultatibus affecti solicitudinibus quotidie vexabamur. omnia inimica, & infesta nobis erant: de quibus cum diu, multumq. nobiscumipsi, & cũ amicis cogitassemus, nec consilio, nec ratione prouideri poterant, ut ad diuinam opem, velim, nolim (dicendum tamen est) confugere cogeremur. cumq. viderem multa horum sanctorum diuina opera, & maximè sancti Ianuarij sanguinem e regione sui capitis liquefieri (quæ nusquam esse præterquam Neapoli certo scimus: non aniles efferimus ineptias, sed quæ oculis nostris sæpe uidimus, & perspeximus) iis sanctis me totum commendaui, & tradidi. diuinitus, testor Deum, diuosque ipsos, me uerum dicere, prouisum mihi est, solicitudines omni ex parte alleuatæ sunt. Magno, diuinoq. beneficio affecti, cum parem gratiam referre non possemus, memores saltem, & grati esse decreuimus: illos religiosè colere cœpimus; eorum rerum studio incensi mirabamur aliquoties, quid esset, quod iacerent; legimus omnes, sed non æquo animo: nam quisquis fuit ille, qui litteris hæc mandauit, ab illis scriptoribus, quorum mentionem fecimus, nihil degenerauit, in vero tantùm exquirendo uersatus est, populariter loquitur, ut nescias, vtrum plebeio, vulgarique sermone, an latino rem tractet. Hæc non dicimus, ut illos uituperando, nos ipsos ornemus, nos tibi uenditemus, lati-

nè loqui præ nobis feramus, id nobis non assumimus, non uendicamus; sed non pessimè fortasse, nec tam barbarè, ipsa res demonstrat. annos XXX. nati nihil aliud agimus, in hoc studio id ætatis consumpsimus. cumque sæpius librum uoluissemus, ingemiscebamus quidem, clarissimam gemmam ad æneum anulum alligatam; cupiebamus quantum possemus, mederi cum sanctorum rebus, tum reip. christianæ (etsi nihil illis opera alicuius opus est; nam benè, hilarèq; à Deo accepti omnibus vel ornamentis, vel magnis, diuinisq. bonis redundãt) hortabamur, rogabamus omnes, qui purè, atq. emendatè loqui dicuntur, vt hęc scriberent, latinè redderent, orationis nitorem aliquem adhiberent. quod si susciperent, esset materies digna facultate, & copia Ciceronis. idq. pergratum, perque iucundum Deo, sanctisq. ipsis fore, confirmabamus: neminem tamen adducere potuimus; ut hoc susciperet: omnes se nobis in hoc excusabant: in re difficili uersari nolebant; cũ genus hoc scriptionis nondum satis latinis litteris illustratũ esset. quid faceremus? videbamus, omnibus nostris viribus nos iustinere non posse: nam quod in nobis nonnullis placet, nobis non probatur: nec ij sumus, ut nostra nos ualde delectent: ingenio, eruditione, ac prudẽtia non vulgari, quarum rerum o[illegible]o expertes sumus, ad hoc opus esse sciebamus. quod cum diu

permo-

permoleſtè tuliſsemus. ut nullo pacto acquieſcere poſſemus; horum, inquam, ſanctorũ res iacere; voluimus tandẽ de nobis potius cũ periculo experiri, & rudes, & indocti, quàm parum grati, parũq. pij uideri. ſed priuſquã ad ſcribendũ aggresſi eſſemus, in fidem, ueritatẽ, misericordiã horum ſanctorũ confugimus, quos maximis, diuiniſq. beneficiis deuincti diligẽter obſeruamus, & colimus; in hoc nos adiuuarẽt, ut perinde, ut uellemus, & reip. chriſtianæ expediret, res ſuccederet: ſingulis cauſſam noſtrã, nos totos cõmendauimus, quos tam faciles habuimus, ut rẽ poſſe confici, nobis ipſi penitus diffiſi non fuerimus. ſed cum cõis philautia omnes decipiat, commoſtrauimus hæc noſtra nondũ tamen deſcripta doctisſimis uiris, ac in omni recto ſtudio, & humanitate verſatis, maximè Q. Mario Corrado Vritano, Conſtantio Sebaſtiano religioſo Monteliuetenſ[illegible]oanni Baptiſtæ Arcucio, cui hæc prouincia cum à pro rege, tum à te merito data eſt, vt hæc noſtra legeret, corrigeret, & comprobaret. Itaque libellus noſter, iis ſanctis adiuantibus, ad fauſtè, feliciterq. exeundum ſe parat. Sed cum omnium ferme ſcriptorum mos ſit, ut librum ſuum ad aliquem ſummum uirum mitterent, hoc nos reputantes, cogitabamus, ad quem liber ſcriptus exiret. tu horum ſanctorum Antiſtes amplisſime ſolus eo munere dignus occurriſti, ut ſi minus noſtra commendatione, tuo tamen

a 4 nomi-

nomine gratiam ab omnibus iniret: nam si assecuti non sumus, vt scripserimus quod æquo animo legatur, uoluetur tamen libellus noster vel duas ob caussas, & quòd tibi mittitur, & quòd de religiosissimis rebus scriptus est. neque tu, quod leuidensæ crasso filo munusculum fortasse sit: spernas, & reiicias, intuere potius, quo animo hæc faciamus, si plus ualeremus, tibi valeremus; ad te deferremus: sin autem apparebit opusculum, vt speramus, & optamus, ac inscriptione magnopere dignum, ad quem alium, nisi ad Pontificem Neap. Marium Carrafam de Pontificibus Neap. scribendum fuit? & præsertim ex ea ortum familia, cuius proprium istud sacerdotium Dei beneficio, & munere videtur esse. uos habuistis ex infinito tempore ad hanc diem, uos in præsentia, vos Deo adiuuante in posterum habebitis: nam cum multos ann[illegible]tus, & illustris familia, gensque Carrafia isti sacerdotio præfuerit: euenit mense Sextili, ut demortuo Alfonso Carrafa cardinali Neap. quem iuuenem sanctissimum honestatis, & amplitudinis gratia nominatum volumus, nulla amplius habendi sacerdotij spes ostenderetur. Pius IV. Pontifex max. qui rectè, modo, & ratione omnia facere videbatur, te ex omnibus, quod optandum magis, quàm sperandum erat, ad amplissimum istud sacerdotium elegit. Tu igitur, quo nemo integrior, neque sanctior erat, cui sacerdotium

mandari

mandari posſit, amiſſa recuperaſti, priſtinam dignitatem in familia retinuiſti: tuæ ciuitatis genere, ac nobilitate facilè primus es; nihil (qđ bona omnium venia, ac pace dixerim) nobiliꝰ Neapoli eſt, nihil illuſtrius CARRAFIA gente, ſummis honoribus, imperijſq. vſa; huius ſatu multi caſtrorũ Imperatores, duces, principes, quos vocãt, antiſtites, & Cardinales editi ſunt; Paulus denique IV. Pont. max. clariſsimus, atq; optimus vir, qui remp. Chriſtianam optimis in ſtitutis, ſanctiſsimiſq. legibus tẽperauit. Tu verò vir electiſsime MARI maioribꝰ tuis digniſ ſime domeſtica exẽpla ad imitandum habens, cum tuorum, tum etiam Pontificum, quorum res ex tenebris, in quibus verſabãtur, eruimus, & litteris latinis conſignamus, imitator exiſtis; is vir es, vnde innocẽtiæ, virtutis, ac veteris ſan ctitatis illuſtre exemplum peti poteſt. priuatis, ſummis, infimis es iucundus, quam verò omni bus diſciplinis, & optimarum artium ſtudijs deditus ſis, hinc facile intelligi poteſt, quòd in maximis occupationibus numquam intermit tis ſtudia doctrinæ; habes domi electiſsimos, exquiſitiſsimoſq. viros multos, Io. Franciſcum Lombardum præſertim, qui vnus inter omnes philoſophos, oratores, & theologos excellit, & I. Laurentium Ananiam noſtrum mathematicum, ac omni liberali doctrina politiſsimum, Hæc primoribꝰ labris nobis attigiſſe ſatis eſt, hoc reſtat, quod à te impetratum iri, ſpera

mus

mus, & confidimus ut libellum nostrum, quo omnem sanctorum custodum, ac præsidum patriæ, templiq. tui rerum memoriam breuiter complexi sumus, legas, cum vacuus vacuã horam habebis. te patronum, te defensorem nobis adoptamus: tu scriptorum de Pontificũ Neap. rebus propugnator eris: tuæ fidei cõmissa sunt, tibi commendatissima habeas, oportet: nam si ab ijs sanctis Pontificib. Deus exoratus amplissimum sacerdotium tibi dedit, ut illis succederes; quid est caussæ, cur illorum nomen, atque res latinis litteris, & monumentis à nobis mandatas nõ defendas? quod si facies, omnes exemplo, auctoritateq. tua idẽ faciẽt, & horum legedi studio (scribentur fortasse plura à nobis, si uita suppetet) vehementius indies incitabitur: & sancti ij te sui studiosum esse, intelligent; in fidem suam te recipient, honorem tibi fortunabunt; satisq. diu & naturæ, & gloriæ fortunatè, beateq. viues; multos dies celeberrimos, lætissimosq. videbis, & in cælũ, quò tendis ad illos peruenies. Vale mense Martio. cIↃ.IↃlxvi. Neapoli

ORDO.

1 Ianuarius, & socij 6
2 Athanasius 71
3 Aspremus, & candida maior. 86
4 Seuerus 93
5 Agrippinus 101
6 Euphebius 104
7 Agnellus 113.
Restituta 121.
candida minor 127
Thomas Aquinus 141.
Franciscus paulan⁹. 190.

INDEX.

A.

Acutius 10
Aguellus 113
Agrippinus 101
Aspremus 86
Athanasius. 71

C.

candida maior 86
Candida minor 127

D.

Desiderius 30

E.

Euphebius 104
Eutycetes 10

F.

Festus 36
Franciscus Paul. 190

G.

Gaudiosus 118

I.

Ianuarius 6

P.

Proculus 10

Q.

Quem vult Deus 118

R.

Restituta 121.

S.

Septimius Cœlius 118
Seuerus 93.
Sossius 10.

T.

Thomas Aquin. 141

Martio mense.
7. c Thomas Aquin. doct. & conf. 141.
Aprili.
2. a Franciscus Paulanus conf. 190.
30. a Seuerus pontif. Neap. 93.
Maio.
17. d Restituta virg. & martyr 121
23. c Euphebius pōt. Neap. 104
Quinctili.
3. e Athanasius pont. Neap. 71.

Sextili.
3. c Asprem' pōt. 86.
Septembri
4. b Candida 127
19. c Ianuarius pont. & mart. 6.
23. c Sosius mar. 10.
Octobri.
14. c Proculus m̄. 10.
Nouembri.
6. e Agripinus confessor. 101
Decembri
14. e Agnellus Abbas 113.

Iosephus C. Typographus S. D. Lectori.



Tsi non minimum studij, & diligentiæ positum est, ut libellus hic quamemendatissimus in manus tuas benigne lector veniret, & suo ornaretur ornatu: fieri tamen non potuit, quin nostrorum librariorum incuria non semel peccatum sit; nos auté quoad potuimus, malo huic mederi, & opem aliquam tibi afferre conati sumus. quare quæ alicuius momenti arbitrati sumus, infra notauimus; quæ autem leuiora sunt, ut, si aliqua littera mutata, vel dempta, vel addita sit; aut cum aliqua nota ex ijs, quæ distingũt incisa, & mẽbra, deest, vel superat, vel suo non posita loco, nihil laborauimus; quippe q̃ uel leuiter eruditus in integrũ restituere poterit. itaque, cùm me aliorum culpam sustinere par non sit, mihi condonabis. Vale.

Pag. 17. line. 27. Christiq. præfecto. 8.2. diligẽs, sobrius, & 20. disperdiderat, & 28. de rebus diuinis. 9.8. puteolis. iiii. millia passuum, & 29. ciuitates Christianas. ii. ii. Constantio regnante anno Christi cccxl. 12.15 acerbissimo mortis metu, & 16. exanimatos. & 29. fuit hoc annis fere. 13. 9. dissideant, ad rem. & 29. repetundarum. 14.13. ad se arcessi iussit, & 23. veluti ad interitum. 15.2. abducere, minis, & terrore commouere. 16.21. defenderis, in eoq. per

stiteri

ftiteris. 17.8.noli nobis istæc.18.8. sti veri Dei. 19.17. hoc hoc est De⁹,& 19.nihil istorũ requiritur,nihil istius modi.20.9.est vera sapientiã. 2?.29.vulgi opinio.Dic.23.11. vbi thesaurum, & 26.gestas res. 26.10.inclusi,vinculis astricti. 27.30.cibos neque attingere, neque. 32.20. quidquid erit,vt à Deo missum, patienter. 34. 20.quibus exectis Ianuarius contemnebat omnia. 36.16 Ianuario darent.38. 14. necisq. & 16.videri posset.39.4.tetras,& feras. 42.10.dicit.44 12.priuare. Timotheus Dei. 45. 7. esse sibi sudarium.50.2.sunt,ut diximus.51.22.an⁹ veniebat.54.18. eiusdem agri, & 155.8 Surrẽtum. 55. 21. noluit,hos & Christum.56 6.reficient scilicet vos.& 20.incenderitis,ex sacro ꝓ fanum feceritis. 67. 21. lætitijs efferri. 71. 23. Theophil⁹,& 24.litanorum.73.21. tino magno Græciam. 75.13.vellent esse. 77.10.infamiam fugeret, morum mutationem.84.23.qui uix tãgens lecticam.85.9.supra infirmorum. 88. 23. & eius religionem.89.14.& auctores, & mag. & 16.se habere 96.27.Nemo efflagitans. & 29. nec illi ignosceтur. 7.12. Deo se totum. 102. 11.eius domus.105.6.modestus,& frugi. 107. 21.hac in ædicula. 108.4.peruetus est in extremo agro.& 17.enim viri.& 21. dictasse, & 23. Francisco se in. 109.8. udouicus,& Gregorius Deo ita monente,& 29.Ferdinandus.121. 19. Carthaginiens. 126. 12. te virum innocentiæ. 129.1.batur.cum nuptæ.& 5.fucoue. 130. 11.

ergo

ergo uellet dec edere. 137.7.ſemper animo te videant.140.16 .contra,quam liceret,contraq. atque.141.19 plicare conarer, & 20. creſcens me.& 26.Samnitū.142.2.buiſſe dicant utrique & 24.ſaltem filium coniungi, quò.145.13.roſarum tempus. Thomas cælum ſuſpiciens,152, 20. rarò victoria.153.1. à ſeipſo diſcederet. & 28.ne Deus ſineret.158.17.& multa in eam,& 2 7.abijceret,& 29.promiſit.164.27.in omnib⁹ eſſe intellectū.167.9. chriſtianis. & 23. pluri-mis miraculis.168.8.ipſe nihil ſentiebat.178. 5.cutus ſum 182.1.ſe cōmendauerint. 186.9.cō ſecutus es.189.27 . non dubitanter. 190.8.ſis auctor.

Io. Franciſci Lombardi Diſtichon,

Geſta patronorum admiranda Neapolis
Conſcribit mira hic cum pietate Dauid.

Cum Superiorum facultate.

DAVIDIS ROMAEI PHILOCASII

SEPTEM SANCTI CVSTODES AC PRAESIDES VRBIS NEAPOLIS,

Ianuarius Pontifex Beneuentanus, incorruptus Christianae religionis testis, custos, & conseruator urbis Neapolis,

PROOEMIVM.



ALVE ter magne IANVARI, parens perpetue, defensor assidue, custos, salusq. nostra. tu es nobis ille Romanorum Ianus, à quo si primùm anni mensem nominatum, ei consecratum, & dicatum esse, accepimus: nos iure quidem primum operis librum tuo Ianuari nomine appellabimus, tibi dicabimus, scribendi exordiũ abs te capiemus, te toto in opere principẽ esse voluimus: nam vt bene posuerimus initia, sic ad calcem nos peruenie mus, cetera, quæ sequẽtur, prosperè omnia procedent, & quos optamus, felicissimos, optimosq. exit⁹ res habebit.

Quòd Ianus ille prudens habebatur, bina ei capita affigebant, biceps fingebatur: tu magne Ianuari, si prudentiæ ratio habenda est, triceps pingendus esses, tria tibi capita tribuenda; siquidem prudétissimus omnium fuisti; nec aliqua tibi cum illo similitudo. tu discipulorum Christi speciem, & similitudinem, quam arripuisti, non Iani geris. tú rei militaris scientia, uirtute, auctoritate summus es imperator fortissimus, optimus, & inuictissimus. tu pedestribus, naualibusúe pugnis commissis, summa cótentione pugnatis, secundis prelijs semper vsus es. tu callidum, veteratorem, & versutum illum omnium hominum vexatorem, qui tres maximos exercitus compararat, aciem aduersus te struxerat, te stratagémate percutiebat, feliciter fusis eius copijs, & incésa classe, reiecisti, ac superasti. tu fortunæ vi, cui nunquam te committebas, contempta, & repudiata; reiectaq. qua nunquam capiebaris, voluptate, libidines omnes, quibus non parebas, domitas habuisti, fractis, quæ hominem cæcum reddunt cupiditatibus. vitatis omnibus infestissimi hostis petitionibus, humana omnia infra te ferens, inuictus perstitisti. itaque tria bella profligasti, animo tuo, ac teipso denique uicto, consecutus es victoriam. ò gloriosam victoriam; ò spolia opima, ò clara trophæa. Quidquid enim in hoc bello prosperè gestum est, id omne tuum ducimus; totum hoc, quod certè maximum est, tuũ

est:


eſt:fortuna nihil ſibi vendicat,in iſtius ſe ſocietatem glorię nō offert.propria eſt tua laus iſta, ſocium habes neminem . tu verò modeſtiſsime, gratiſsimeq. Ianuari ſapienter omnia , in ipſa victoria feciſti;omnia Deo opt.max.tribuiſti,Deo pro tantis in te meritis honores habes, & ſuppliciter gratias agis:de te verò humiliter, ac demiſsè loqueris . quotidie magis floreſcet laus tua,ſi lætitia honore, dignitate, aut bonis augeri potes,neque vlla unquam ætas finem allatura eſt trophæis,monumentisq. tuis. reportata hac tam glorioſa victoria,triumphum egiſti,curru victor in cælum inuectus es , vbi cum ſecuritatem habes maximè optatam , & expeditam, in qua uita beata poſita eſt;tum beatus frueris Deo , ac æternitate,quam metietur nulla temporis circumſcriptio. Et quoniam caritatem in nos retines,& omnia nutu à Deo conſequi potes, propitius, ut nobis ſis,à te quæſo; te in ſcribendo inuocamus,te etiam atq; etiā , Chriſtianè,non poeticè loquentes imploram⁹, & appellamus ſanctiſsime Ianuari . te duce, te auctore , te magiſtro hanc ſcribendi ſuſcepim⁹ voluntatem , atque prouinciam. à te igitur ſcribendi initium faciemus . opus hoc magnum , & arduum inſtituimus, cuius neque principiū inuenire neque exitum euoluere poſſumus,niſi præſens tuo numine, atque auxilio nos defēderis , & adiuueris : plus enim , quàm pars uirilis poſtulat, oneris ſuſcepimus . tu tanti ope-

ris clauum tenebis, tu nostrorum scriptorum gubernacula tractabis. Habebimus & aliorum sanctorum auxilium, in quibus spe nostra collocatæ; uastissimum hoc mare ventorum vi agitatum, turbatumq. transibimus, quanquam incerto nobis cursu, hieme maxima nauigandum esse intelligimus circumspicimus procellas, quæ impendent, & naufragij denunciatione nos deterrrere videntur, vos prouidete, vos, inquã, diuina animatæ mente, lucentesq. stellæ, quæ in tenebris luce Christi luxistis, lumen hoc vestrũ nobis in tantis tenebris præferte, ingenij nostri nauiculam dissolutam prorsum, & dissipatam rectam tenete. quod si contigerit, & hoc lumine illustrabimur; sint per nos vehementes vẽti, sint immoderatæ tempestates, Charybdis infesta, & Scylla nobis sit: desit nobis ingenium, desint verba, deficiat memoria. vocent nos legẽdarum (vt ita dicamus) plebeiosq. scriptores, congerant in nos omnia maledicta, omnia crimina; nihil laboramus. tanti nobis non est, feremus vestro exemplo, sermones hominum, dum modo nostro officio, nostraq. erga vos pietate satis vobis faciamus, non laudis studio trahimur, nec gloria ducimur, sat habemus vobis gratum facere; nam defensionem nostri suscipietis, &, si uos pro nobis, quid contra nos? ijs magnis subsidijs fulti, teq. magne Ianuari rectore, atque nauarcho, e portu egredientes, nihil remigabimus, statim orationis vela, pan

demus,

demus, nauicula nostra secundis uentis cursum tenebit suum, uentus leuissimus, mitissimus, valdeq. secundus nobis flabit, ꝓcellas omnes deuitabimus, in portum, quo ex alto inuehemur, passis velis peruehi licebit, adoptabilem exitum perueniemus. Omnia hæc uobis accepta referemus. vestroq. beneficio grati, & pij in maximi beneficij memoria, semper erimus, ac uobis, uestræq. laudi nos totos dicamus, gratissimo animo nomen uestrum prosequemur, & ore semper uestra pleniore laudabimus.

VITA SANCTORVM IANVARII PONTIFICIS BENEVENT. ET SOCIORVM.



A Dauide Romæo Philocasio scripta.



ANVARIVS Pontifex Beneuentanus, Christianæ religionis locupletissimus, grauissimusq. testis, & Ciuitatis Neapolis custos, ac præses, Beneuenti nobili genere, Christianisq. parentibus natus esse creditur. qui cũ primum pulcherrimam speciem, liberalemq. formam, & egregiam quandam indolem in infante filio conspexerunt, eum cum omni liberali doctrina, tum Christiana religione perfectè erudierunt. quæ res ita faustè, feliciter, prosperèq. euenit, ut breui utraque in re bene eruditus puer, simulac aliquid sapere cœperit, alteram desierit, alteram omnibus uiribus amplexatus sit. Omne studium in doctrina, sapiẽtiaq. Christiana collocauerit, quare ex hominum vita ad Dei religionem, sanctimoniamq. migrans

migrans, Deum piè ſanctèq. colebat, eius præcepta tenebat, integrum ſe, caſtumq. ſeruabat. erat prudentia ſenili, moderatis, temperatiſq. moribus. minime loquax. eius uerba non inquinata, non petulantia, non odioſa, non denique vlla aliquãdo ex ore eius exciderunt vnde quiſquam poſſet offendi. uirtus uerò tanta, verecundia, & modeſtia, vt omnes ad diligendum ſe facilè alliceret, quibus rebus factũ eſt, vt Ianuarium omnes uel à religione alieniſſimi obſeruarent, colerent, venerarentur.

Dum hanc adeò ſanctam vitam ageret, factum eſt, ut qui clam Chriſtum ſancta religione Beneuenti colerent, Pontifice orbarentur, ac virum tanto munere dignum electuri ad ſacerdotium, conuenerant, qui his rebus moti uiua omnium uoce Ianuario id numquam appetẽti vltro mandarunt: uerebatur enim uir modeſtisſimus, ne tanto onere opprimeretur, ſi ſuſtinere non potuiſſet, & deponere non liceret. Sed Beneuentanorum Chriſtianorum cœtus illico legatos Romam miſit ad Caium Pontificem Max. uel Marcellinum (hi enim per ea tẽpora Romani Pontifices erant) vt ſibi aſſentiret, reſq. illius teſtimonio comprobaretur, & Ianuario ſacerdotiũ mandaretur. qui ne onus à tanto viro ſacrorum rege, Chriſtiq. vicario ſibi impoſitum abiicere videretur, cumq. in ſomnis ab Antiſtite Beneuentano, qui iam de vita deceſſerat, moneri viſus eſſet, inuitus nõ

ad imperandum, ſed ad parendum potius ſu ſcepit. ſanctisſimo ſacerdotio præditus à recta conſcientia, à fide, à conſtantia, à iuſtitia, à mente, à ſeipſo, ab eo, quod Paulus quodq. ceteri Chriſtiani in ſcriptis reliquerunt, tranſuerſum vnguem nunquam diſceſsit. eius mores adeo iuſti, integri, religioſi, & iniuriarum, perferentes fuerunt, ut oratione exprimi non poſsint; omni iuſta reprehenſione caruerint. erat in ſacerdotio, cœremoniis, & rebus diuinis, quibus præerat, vigilans, diligentisſimus, ſobrius, induſtrius, integer, caſtus, pudicus, vxorem non habuit, immo virgo incorruptus, innocens, frugi modeſtisſimus erat. non percuſſor, non litigioſus. coercebat omnes cupiditates, gloriam Dei tantum deſiderabat, idq. vnum in lucris ſibi ponebat. alieni nón modo nunquam fuit appetens, ſed nequidem ſui parcus, aut tenax, immo largitor, & fere prodigus: diſperderat, & disſipauerat ſupellectilem pecuniam, & poſſesſiones a patre relictas, eratq. (vt vocabatur a ſuis ciuibus) in ſuo patrimonio nepos: nam hæc omnia pauperibus, & mendicis liberalisſimè diſtribuerat; eratq. hoſpitaliſimus, eius domus enim egentibus, & mendicis ſemper apertisſima benignisſime patebat, rudes, & in Chriſtiana religione tirones de rebus diuis nulla mercede docebat, ſermones à Chriſto habitos, & chriſtiana pręcepta exponebat, religionis myſteria omnibus enun-

enunciabat: ad quod ſuæ vitæ grauitate, & integritate, præmiis, miraculis, illecebriſq. verborum inuitabat, multos ad rectè faciendum, ad ſeſe, & mores ſuos, hoc eſt ad religionem Chriſtianam alliciebat, & deducebat. finitimos, viciniſq. Chriſtianos ſæpius inuiſebat: Miſeni verò degentes, quod erat oppidum à Puteolis CCCC.millia paſſum, à Beneuēto iter vnius fere diei frequentisſimè, ac crebriùs, quā ceteros, illis præſertim diebus, quibus Antiſtite cœremoniarum, & ſacrorum Chriſtianorū eiuſdem vrbis demortuo, religionem ſanctiſſime tuebantur, & omnia, quæ ad Dei cultum pertinebant, diligenter pertractabant, ſacriſq. præerant adoleſcentuli, quibus ſacerdotes immolantes utuntur miniſtris, nos Græco vocabulo Diacones nominamus. nemo enim demortui locum petebat, nemo in hunc ſummū locum aſcendere cupiebat. ſacerdotia, munia, & magiſtratus capiebantur & habebantur ea tempeſtate loco laboris, non prædæ, non lucri nō honoris, nō voluptatis. nec quiſquā erat, qui hoc negotium ex Chriſti uoluntate ſeſe gerere poſſe, cum omnes poſſent, exiſtimaret, ea erat illorum hominum, & ætatis humanitas, & modeſtia. o tempora, o mores, vbi terrarum ſunt adoleſcentes illi, quibus tantum tributum, conceſſumq. erat, quiq. tanta cum Deo in gratia erant, vt ciuitatem Chriſtianam ſanctisſimè adminiſtrarent. felices homines, qui-

bus

bus illos conſpicere, alloqui, familiariter uti licuit. Itaque Ianuarius Miſenum hac de cauſſa aſsidue vētitabat, ibi de religione ſacra concionabatur, de religione verba faciebat, ex cuius ore religionis verba ſemper excidebant, de religione, de pietate, de morte Chriſtianorum, graues ex philoſophia chriſtiana locos vberrimè tractabat. Soſsium Miſenatem miniſtrum ſeparatim docebat, vitam Chriſti totam explicabat, atque eam non modo in animo Soſsij, ſed etiam in oculis, conſpectuq. exponebat. Quodam tempore in fano flammam ignis è capite Soſsij vitam Chriſti, quod Euangelium vocamus, legentis, in cælum euolare videns dixit. Soſsi frater ad mortem voluntariam iniquisſimi Chriſtiani nominis hoſtes te ducent: in hac adminiſtratione vitam pones, illam pro chriſtiana, veraq. religione profundes, vtinam reſpondit Soſsius hoc cito eueniat, credo vaticinationem hanc tuam veram eſſe. prædictio hæc tua pater ſanctiſsime apud me fidem maximam habet. ò fortunata mors, quę naturæ debita, pro Chriſto potiſsimum redditur. Tunc inde veniebat ad Eutycetem, Acutium, Proculum miniſtrum ſacerdotum Puteolanos & ad eum ipſum Soſsium non multo poſt prædictionem in carcerem, quòd confeſsi erant ſe chriſtianos eſſe, Puteolis coniectos. hos uiſitabat, confirmabat, hortabatur, obſecrabat, animo vt maximo eſſent: hæc, dicebat fratres

ad

ad cælum facillimos nobis aditus patefaciunt, tutam nunc uobis viam in cælum munitis, hanc inierunt omnes Christi discipuli, quorum vitam, necemq. sæpe vobis explicaui. Nec verisimile videtur, hunc Ianuarium nostrū cum Vincentio Campanorum, Calepodio Neapolitanorum, Osio Cordubensi pontificibus fuisse Pontificis Max. in concilio Sardicens. legatos, vt legitur in Decr. Grat. Distinct. xvj. nam hoc concilium habitum est Iulio I. Pontifice Max. & Constantij Imperat. anno Christi. vt lib.4. Eccl. histor. cap. xxj. & xxiij. Interea Diocletianus Dalmata, libertini, filius Solonis ortus, rerū potit⁹, tyrānidē occupauerat & Romanum imperium ceperat, hic videns religionē christianam orbem omnium terrarum occupasse, timebat, ne inexpiabilis in Remp. religio induceretur, & pro deorum cultu hæc susciperetur. huc accedebant deorum Pontificū vehementes, crebræq. cōtentiones, id ab eo efflagitantium, vt gentes ab hac religione soluerentur. itaque hanc legem ex pontificum libris de scriptam promulgauit, quam nos legum voce proponemus.

Separatim nemo Deos habuerit, neue nouos, nisi publicè adscitos priuatim colunto. constructa à patribus delubra habento. diuos, & illos tantum, qui cęlestes semper habiti, colunto, cetera, quæq. augures, pontifi cesq. deorum immortalium iniusta, nefacta,

vitiosa

vitiosa, dira defixerint, irrita, infectaq. sunto. siquis ergo huiusce iussionis aduersus praecepta fecerit, adiudicatus esto hostis S. P. Q. R. ac si contra imperium arma tulerit, penatesq. e sacris penetralibus asportauerit. qui non paruerit, capitale esto damno uinculis, exilio, verberibus morte coercetor.

Ad hęc omnibus magistratibus, qui Romæ, quiq. in prouinciis ius dicebant, omnibus prætoribus, omnibus duumuiris capitalibus, proconsulibus, proprætoribus omnem potestatē dedit, Christiani hominis ad libidinem suam vexandi, cruciatu, & morte afficiendi. uiderat enim iandiu christianos nulla diligentia, nullo cruciatus, vel acerbissimo metu perternitos, nulla conscientia examinatos ab hac religione declinare. quare nefariam pestem christianis machinatus, à Neroniana decimam, sed ab ea, quæ primum Hierosolymis facta fuit, vn decimam de capite Christianorum, & bonis proscriptionem, alij persecutionem uocant, instaurauit: hæc fuit longe post omnes, quæ ad huc latę erant, crudelissima, cum per dies 30. quibus hæc pestis christianę Reip. funesta durauit, Christianorum xvij. millia diuersis in locis ad supplicium, & mortem rapta sunt. sanctissima Dei immortalis sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, summa denique turpitudine fœdata sunt. annis ferè CCCV. post diem Natalem Iesu Christi; post

post vrbem conditam M.LVIII. post orbem verò terrarum IↃↃDIV. si Eusebium auctorem sequi malumus, nam de annorum mundi numero est intèr scriptores controuersia: quanquam nos tempora sic notauimus, & disperti uimus, vt parui referre existimauerimus, si mēses aliquot, vel annus addatur, vel relinquatur, cum Eusebius, ceteriq. auctores de annorum numero non leuiter dissideant. Qua in re Diocletianus Timotheum quēdam crudelissimū, quem Dragōtium auctor Martyrologij vocat, his locis, quod nunc Regnum Neap. vocamus, vnde multo plures huius generis homines, quā ex tota Italia exire cognouerat, præposuit, vt de hac re iudex constitutus, in cruciandis Christianis, ac in excogitandis necibus, & supplicijs in hos constituendis studium suum omne collocaret, vinculis, verberibus, & omni miserrimo, crudelissimoq. supplicio excruciatos necaret, nullam ducens rationem ętatis, sexus, vel fortunæ, aut dignitatis, omnes turpi morte, & ignominia mortuos afficeret, quem vellet in dicta caussa impune posset occidere, in omnes crudeliter animaduertere, omnes vexare, rapere, omni crudelitatis genere lacerare. quod quò audaciùs faceret Thimotheus, huius rei rationē eū neq; reddere, atque exponere, neque repetendarum lege teneri iussit. Timotheus, his præsidijs septus, mandata, quæ receperat, effecturus, Nolam, vbi ius dicturus erat, se contulit

tulit: vbi in primis omnia acta publica, in quibus Christianorum nomina scripta erant, sibi afferri iussit, simulac Sossij, & Proculi nomina pronunciata sunt; quid de ijs factum esset, interrogat, respondent, vnà cum Eutycete, & Acutio Puteolis in carcerem conditos, miserrimo supplicio, summo animi, & corporis cruciatu confectos vitam agere, ac in pristina sententia adhuc permanere, & Ianuarium quendam grauem virum Beneuentanum, sacerdotem Dei Christianorum litteris, & oratione illos fulcire. Timotheus Ianuarij nomine delato, eum ad se arcessit. tunc Ianuarius hæc audiens, gratias, inquit, tibi Christe ago, quod benignitate tua diuino munere, quod nõ mereor, à te largissimè donor. fac conducas prætorem hunc ad cœdem mei faciendam, tanquam aliquem Thracem, sit sanguinarius, sit Thrax, sit crudelis, per me nihil, te adiuuante, laboro. tuorum cœtum, templum, domum tibi reddo atque restituo: hæc omnia si negligenter tractaui, mihi quæso ignosce: negligentiæ pœnã prætermittere velis, hæc dicens, velut ad interitum voluntarium ruens, Nolam ad Timotheum venit: nihil enim magis auebat, nihil magis sitiebat, nullo maiori desiderio tenebatur, quàm se Christianum esse, apertè, atque ingenuè confiteri, & pro Christo emori posse. Timotheus Ianuarium (vultus enim sermo quidam tacitus mentis est, sensumq. animi plerunque

runque

runque indicat) illecebris delinire, lenocinijs, malitiosisq. blanditijs à Christo abducere conatus. Ianuari, inquit, de genere tuo nobili, de eruditione, vitaq. tua integerrimè, honestissimeq. acta audiui: quapropter omnia caussa tua honestissimè cupio, ita dij bonā tibi mentem dent, istam mutent, turpe est, te ita perdi. quod si erratum est à te, vel adolescētia, vel humano more, vel spe falsa, atque fallaci, redeas in uiam. optimus est portus pænitenti mutatio consilij. cuiusuis hominis est errare, nullius, nisi insipientis in errore perseuerare. ego penitus perspicio naturas hominū, uimq. omnem humanitatis, caussasq. eas, quibus mētes aut incitantur, aut reflectuntur. noli amplius Ianuari delirare, multis litteris desipisti. falluntur Christiani, falluntur, decipiuntur, opinionibus vulgi in errorem rapiuntur. Vides religionem istam ad opiniones imperitorum fictam nihil ampliùs afferre, præter barbaras, & aniles superstitiones, quæ hominum imbecillitatem occuparunt, hac qui est imbutus nunquam quietus, nunquam tutus esse potest. vitam, qua nihil sanctius, nihil antiquius, nihil carius, mihi crede, à dijs homini datum est, stultè profundunt, seipsos incruciatum dari cupiunt. uincula, neces, ignominias non vitant. quid humilius, quid abiectius, quid stultius Christianis asinum colētibus? nonne Deus, quem isti colunt, suis coloribus auribus, pede

altero

altero, & ungula asini pingitur, & ornatur. ei' sectatores, atque imitatores Asinarij, Semissi, & Sarmētarij proprio nomine sunt, & iure optimo hoc nomine vocandi, dicendiq. sunt. Tu verò Ianuari resipisce aliquando me auctore, ex probris, ex ista vita, ex cœno, ex fluctibus, ex mēdicitate, & diuturnis tenebris emerge. nam si errorem tuum deposueris, ad bonam frugem te recipies, & non secus ac inuictissimorum Imperatorum decreta facta sunt, Dijs immortalibus ad aras sacrificium facies, thus, atque odores incendes, tibi in tanto scelere ignoscetur, venia, & impunitas peccatorum dabitur. quòd si sacris initiari cupis, vel deuotus es, Deorum immortaliū sacerdos creaberis, præmia, & munera dabuntur, maiori honore ornaberis, satis prolixè polliceor, satis cumulatius faciam; sin autem (nam qui hoc sunt animo, deteriores fiunt rogati) hæc obstinatione quadam sententiæ repudiaueris, & istæc vestra nimis præfractè defendes, in eoq. pstabis, ac de suscepta caussa, propositaq. sententia nulla uis, nulla contumelia te poterit depellere, sed in suscepto consilio stultè, & incautè permanseris, nulla acerrimorum, tormentorum uis in te cruciando prætermittetur, his te cruciatibus, & morte afficiam, vt Deus vester, quē frustra colere precari, sequi, venerariq. soles, illa videns pertimescat, & oculos, si habet scilicet ab his deijciat.

Ianuarius nihil ultra Timotheum progredi, & verba hæc odiosa, inquinata, & intolerabilia facere amplius passus non est; sed quasi præteriens, caussæ, officioq. suo satisfecit, hæc respondens.

Tace infelix minister, & serue rectoris tenebrarum, cuius proprius es mancipio, nexu, vsu, & fructu. noli mihi istæc insusurrare. non te pudet dicere, Christianos in summo errore, ac in maximarum rerum ignoratione versari, & omnia nostra errorũ plena esse? neque ego vos miror, quid enim faciatis? Sapientia Dei, qua nihil est vberius, nihil optabilius, nihil melius, nihil præstantius hominum vitæ datum, rerum humanarum, diuinarumq. scientia, atque cognitio est, & caussa cuiuscunque rei. hæc tã magna sunt, ut ea cuiusque mens capere non posit, hæc in cogitationem vestram non cadunt. qui sapientissimi vobis videntur, ij stultissimi sunt præ seruis veri Dei. Perdidit Deus sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobauit: suam verò maximam, & præcellentissimam occultari voluit, vt vos habere non positis, nec audire. quis vestrum vnquam percepit animo, Deum fuisse creatorem mundi? illum omnia de nihilo fecisse? cũ vos asseueretis, vnus, innumerabiles esse mundos, alter sexcenta millia mundorũ, alius sempiternum mundum fore, alius mundum esse Deum, alius in mundo, & in cęlo inesse mentẽ,

& rationem; & quam plurimas alias incredibi les delirationes. quid dicemus de prima hominis, & feminæ creatione? de Deo? de pœnis vestro scelere condignis, quas ad inferos luetis. num mente comprehendere potestis, Deum hominem factum è cælo descendisse? Virginē peperisse? sacerdotes Iesu christi quibusdam conceptis verbis quotidie panē & vinum, in aliam naturam conuertere, hoc est in carnem & sanguinem Dei nostri. hæc,& alia multa, quæ aperuit,& patefecit integerrimis tantum uiris, & infantibus, talem in numerum ascribi contendo. etsi nos errare,dicis ab errore auertere studes,gratias ago,quod nō pateris me in errore versari: quod quamlongissime à nobis absit, ex his, quæ supra dixim⁹ facilè patet, sed fac,nos in hoc errare: vide ne vtilius nobis,& honestius sit, Deo duce errare, quàm te magistro erudiri. vtinam te ad hunc errorem inducere, & ad nos allicere possim⁹, vt sapientiam hanc nostram audias, & cælesti, diuinaq́.sapientia, & opinionibus, legeq́. nostra imbuaris. quòd si gustares partem aliquā huius voluptatis, quæ ex Dei contemplatione capitur,sententiam penitus mutares,& in nostram discessionem faceres. Sanctissimam religionem nostram superstitionem esse,dicitis, vestra superstitio est,in qua inanis Deorum cō mentitiorum,& fictorum metus inest,qui nusquam sunt,sed homines certe fuerunt, vt omnes

nes vos,at nobiles noti, & omnibus turpitudinis notis inſignes, famam ex flagitijs factis collegerunt, in ijs omne inſigne vitium fuit, multis nominibus notandum.veſtris tuis homines diuites dumtaxat familiares eſſe poſſunt; pauper,qui centenas victimas mactare nequit, nominatim à Deo excluditur.Pietate,iuſtis precibus, religione Dei mẽs,nõ contaminata ſuperſtitione,nec cæſis hoſtijs placanda eſt; vitulũ;ſine creſcat aratro, eſt apud poetã neſcio quem veſtrorũ.vtq. interim ſileatur de ijs, qui humanis hoſtijs Deos placare ſolent. quod ſcelus? quod facinus? quod flagitium? quæ crudelitas? quæ atrocitas? quæ feritas? quæ ſæuitia? quæ immanitas iſta? ô ſanctiſsimi,clementiſsimiq. dij, veſtras aras ſcelere cruentari iubentes.hominum ſanguinem exorbetis, hoc eſt Deus innocentem hominem interimere. In religione Chriſtiana nihil horum requiritur, nihil eiuſmodi eſt: pura, atque integra mens nullius ſibi criminis conſcia,& affectio animi, qui propter agnitionem,& ſenſum acrem peccati fractus,afflictus, & proſtratus in ſola Dei miſericordia ſpẽ ſalutis collocat, ſunt ſacrificia Deo acceptiſsima: hæ ſunt hoſtiæ, quas Chriſtianus ad ſacrificiũ præbet, vel panis offam,& aliquot vini cum aqua guttas. Chriſtiani igitur,Chriſtiani,Chriſtiani omnes virtutis numeros continẽtes.Chriſtianos tu humiles, & patiẽtes vocaſti. neſcis,ſuperbos à nemine amari,ſuperbiã,arro

gantiam,faſtidiū omnes fugiunt. in hæc concitatur omnium odium.nemo hęc ferre poteſt ſine dolore. ambitio,quæ ad honorum ſtudium homines ducit, perniciosa, & contra leges veſtras eſt. Chriſtianus ergo quod nec caſu, nec conſilio in aliqua re labatur,fracto,atq; humili aīo eſſe videtur; nec interim aliq̄d abiectū,aut humile cogitat,vel facit:ſed ſub pallio ſordido latetſapiētia.hoc animivirtutē vos vocatis,chriſtianorū,inquā,prudētiā, & tēperantiā:hæc ē vera modeſtia. quid dicem⁹ de mirifico pudore, q̄ eſt in Chriſtianis,hic eſt moderator cupiditatum,hic ornat ætatem . itaque Chriſtianorum modeſtia nihil fieri poteſt admirabilius.ex quibus fit,ut ueſtrum nemo erectiori, firmiori,altioriq. animo umquam fuerit.Audiui à ueſtris, maiorem iniurias ferendo, quàm ulciſcendo, laudem merere; & accipere, quam facere iniurias præſtare.Chriſtiani iccirco,& Chriſti cauſſa omnes iniurias uoluntaria obliuioue conterunt, inimicis benigne faciunt, beneficia conferunt, ſeipſos, quę maxima eſt omnium uictoria,uincentes; nec tantum legem illam naturæ ſanctiſsimam,à qua ſi numquam diſcederetis, bene uobiſcum ageretur, NE quis alteri faciat, quod ſibi fieri nolit,pęrpetuò cōſeruat,ſed omni argento etiam,fortuniſq.ſeipſum ſpoliat, egentiſsimos, & mendicos donaturus; hæc eſt religio, hæc eſt caritas, homo homini Deus. multos ex uobis audiui aurum in marę abiecisse.

cisse; quò integri ad quietẽ irent & ociũ, & trã quillitatem uitæ sequi possent, sapientius fecissent isti, si pecunias pauperibus erogassent. Quod Asinarios nos uocaueris, uide quæso in quos cadat hoc verbum. veram Dei notionem Christiani soli ex omnibus habent, ceteri omnes carent. Christiani tantum res, quæ in ꝑdifficili cognitione uersantur, mente noscunt, Dei, rerumq; omnium notionem, & contemplationem ad bene, beateq; uiuendum necessariam habent. Iniurias uerò, & contumelias in Deum uerum, qui cælum, & terram, & omnia quæ in his sunt, ex nihilo creauit, ac fabricatus est, iacere nolis, nec eius seruos Asinarios, & semisios vocabis, ne iniurias ulciscendo, supplicium de te sumat, amittas animam, uel cæcus fias, elinguis reddaris. Rursus, conuicium hoc grande, quod Deo fecisti, seu facere tibi persuaseras, omnia in eum maledicta conferendo, conuicium non est: finita enim ad infinita nulla sunt proportione. quid Deo cum talibus hominibus coniunctum, & commune est? omnia ista a te dicta ad gloriã nostrã, splendoremq. reuocamus, ut enim uos non laboratis, quid nos loquimur de uobis; deq. uestra peruersa, uana, & impia religione, quæ tota ex rebus fictis, & commentitijs constat: ita nos non curamus, quid uos homines mendaces, cum istæc uera scelera loquimini de sanctissima Christi religione male-

uolentia, & inuidia adducti dicitis. consciētia nobis pluris est, quàm omnium hominum sermo. petulanter ergo Christo maledicite, malis nos onerate. maximam gloriam ex uestris maledictis Deus, nos uero summum præmiū consequemur. nescis Timothee, pares cum paribus facillimè congregari, & omne simile amare sui simile. terrenus homo cælestia non sapit. quod si Deum laudaretis, similitudo cū illo uobis aliqua esse uideretur. Deus omni laude abundans à malis celebrari non cupit: homo totus ex fraude, atque mendacio compositus, patre mendaciorum prognatus uerum dicere nequit. uera, grauis, & solida Dei gloria ex his duabus rebus constat, ex bonorum scilicet laude, & sceleratorum conuicijs. non esset Deus, non esset, si scelesti eum non odissent, male nō precarētur. Sed quid uerbis opus est? ubi in eam rem testimonia sunt; de hac tota lite nostra pactionem tandem faciamus, promittamus, nos iuratos nec fidem, nec iusiurandum neglecturos. si quæ dixi uera non esse, conuinces, de sententia mea discedam, libenti eam animo remittam. sin autem uera fateri uolueris, & Christianos simplices, apertos, ueritatis cultores, fraudis inimicos esse dices, manus dabis, uictor discedam, mea mandata exequeris, & Christianam religionem suscipere uelis. plus apud nos ratio ualeat, quàm uulgi ratio. Dic ò pessime Timothee, ex omnib⁹ Christianis

ſtianis, quotquot à te occiſi ſunt, vel ab alijs occiſos eſſe audiſti, num unus ſceleris, aut cul pæ cōſcius fuerit? aut pœnas ab aliquo chriſtia nō ob aliquod delictū iure expetiueritis? Chriſtianis neque facinoris ſuſpicio, nec facti crimē obeſt. Chriſtianus mendacio non fallit, á quib⁹ rebus uos manus, oculos, animum uos ipſos nō cohibetis, Chriſtianus abſtinet. Chriſtianus res terreſtres, bonaq. iſta ſpernēdo, reijciendoq. ad alia præſtantiora, longeq. maiora aditum ſibi comparat, uel theſaurum conditum inueniet, ibi nulla latrocinij, nulla furti, aut alicuius mali ſuſpicione ſollicitus, nullo metu ſuſpenſus eſt. adde tot miracula à Chriſtianis edita. quod nuſquam antea uel alibi extitiſſe ſcimus; niſi poetarum nobis obijcies. Cum ab omni moleſtia uacuus (ſi hoc continget) fueris, perlegas, amabo te, res geſtas Chriſti, eius uitam breuiſſimè conſcriptam, & remp. noſtram. genus inſtitutorum, & rationum Chriſti diſsimilitudinē habet maximam cum ſcriptis omnium veſtrorum, qui de rep. conſcripſerunt, reſp. Platonis, Ariſtotelis, Lycurgi, Xenophontis, Ciceronis, & aliorū cū chriſtiana rep. contēdito (ſi minima cū maximis comparationē aliquā habere poſſint) geſta res, ſcriptaq. Chriſti neq; cū illis neq; ulla cū gente, ne minima quidē ex parte cōferēda putabis. Magnopere miror, cū ſpē, uel metū mihi afferre conaris. homo neç blando appellatus ſermone, nec illecebris, donis, munerib⁹,

precio delinitus à fide, à iustitia, à constantia, & à seipso discedere, nec de via deflectere debet. Noli mihi mortem, quæ omnibus est parata, minitari; pro hac vitam sempiternam, & perpetuã mihi dabitis. non est vita, nõ est, quã vos viuitis, mors est, quæ uestra dicitur vita, sed est in cælo certus, ac definitus locus, vbi qui sanctissimè vixerint, non secus ac mandauit Iesus christus, dum esset in terra, æuo beati sempiterno fruentur. qui amittit hanc vitam pro Christo, aliam beatiorem ab eo habebit; emittitur ex hoc carcere corporis, vt fruatur gratia, gloria, opibus, delectationibus, quas ad beatè uiuendum Deus Opt. Max. diligentibus se comparauit. cælum est nostra patria, quam inquirimus, cuius desiderio ardemus, flagramus, & æstuamus. non est hæc patria nostra (quam in sententiam nonnulli vestrũ iuerunt) nunc sumus hospites, inquilini, aduenę, peregrini. commorandi Deus diuersorium nobis dedit, non habitandi locum, ex ista vita, tanquã ex hospitio, non tanquã ex domo migrãdũ est. itaq. pro patria nemo bonus dubitat mortẽ oppetere, mori pro patria pręclarũ est. Mors serui tuti, turpitudiniq. anteponẽda est. vos turpiter, flagitioseq. seruitis, & paretis Veioui, mũdo, & cupiditatibus, nec mors honesta fugienda est, quin potius semper appetenda: hæc vitam turpem exornat, mors hæc turpis forti viro nunquã potest accidere, immatura numquam christia-

no, nec misera sapienti. quid bone Deus christianis viris fortius hæc contemnentibus? quid sapientibus cum Deo loquentibus? quid honestius pro Christo Dei filio, & pro veritate è vita cedētibus? Nec frangimur aio ptopter vitæ cupiditatē, quæ nos manens conficeret angoribus, demissa molestiis omnib⁹ liberasset. quid enim habet vita hæc commodi? quid non potius laboris? sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo. mors omnibus est definita, omni ætati est communis, propter incertos casus quotidie, semperq. imminet; optandum arbitramur, vt quæ necessitati cito debetur, Deo potius ultro donata, quam naturæ reseruata videatur. O præclarum diem, & horam, cum ad illud diuinorum animorum concilium, cœtumq. proficiscar, & ex hac turba, & colluuione discedam. pergam enim ad Iesum Christum meum, cui adeo noster aduētus suauissimus, & optatissimus erit, vt nos in beatorum senatum hilare, bene, admirabiliterq. recipiet, nūquā à se dimittet, in manibus semper habebit, fouebit, osculabitur. Itaque christianus omnia hæc cogitas, duce Christo fretus, illa sperat, & quandiu in hac vita manet, tandiu quietus esse non potest: dixisti enim, nos despectui ducendo. Qui religione Christiana est imbutus, quietus esse nunquam potest. nihil verius hoc. fateor, vos hoc tempere esse quietos, aut saltem videri. nos vero spe

rò ſpe inductos ſolicitos:ubi eſt quies,nulla eſt ſpes,ubi ſpes,nō eſt quies.oportet,uos in his rebus acquieſcere, cū nulla uobis ſpes melius fore oſtenditur: nos aūt nihil hîc habemus, in quo acquieſcamus: Deus enim nobis ad bene de ſēpiterno æuo ſperandū ſignū ſuſtulit. inter nos chriſtianos, & uos barbaros noſtra religione,noſtris præceptis,noſtriſq.moribus non imbutos,hoc intereſſe,arbitror.ſumus in hoc mūdo tanquā duo in eadem cuſtodia incluſi uinsi, uinculis aſtricti,quorū alter de certisſimis, maximiſq. criminibus,alter de falſis reus fact⁹ eſt,ac temere appellatus, ij dū iudicē expectāt, ſceleratus, ut dānetur,ad ſupplicium trahatur, innocens ut abſoluatur,è carcere emittatur,laborum fructu,periculorumq. præmiis ampliſſimis donetur.iudiciis aduentus vni in ſuauisſimus,alteri optatisſimus erit;hunc delectat,illū torquet,hic è carcere emitti,laborum,periculorumq.mercedē accepturus, ille ſceleris pœnas daturus detineri cupit.iſtiusmodi ſumus nos; vobis, qui omnem ſpē in prēmiis humanis poſuiſtis,quoſq.ſcelerum,& flagitiorum conſciētiæ ſtimulant, & pœnam ſemper ante oculos uerſari,putatis, hinc ire apud inferos impiorum ſupplicia perferre, ac ſempiternas grauiſſimaſq. pœnas ſuſtinere, odioſum, & moleſtū eſt. chriſtiani verò, qui ad bonam futurorum, & immortalitatis ſpē rapimur.hinc è corporis uinculis, tanquam è carcere in cælum euolare cupimus

cupimus, ubi ſempiterno æuo beati fruemur. Chriſtianis igitur mori lucrum eſt. cupimus diſſolui, & eſſe cum Chriſto, efferimur eius ſtudio, quem colimus, videndi, quò quidem nos proficiſcentes haud ſanè quis facile retraxerit. noſter videtur animus ſe ad meliora proficiſci videre; ueſter autem nō videre. nihil eſt in hoc mundo, quod chriſtianos rerum ſuperarum, & cæleſtium ſpectatores capiat. omnia omnis terrarum orbis, omnia denique mundi huius præ iis noſtris nihil ſunt. omnia iſtæc, quæ uos plurimi facitis, per riſum, ac iocum contemnimus. Poſthac igitur chriſtianum mortis periculis ſe committere, illa parui ducere, uitam profundere, ne dicas. itaque ego nec minis mortis territus, nec illecebris delinitus tibi morem geram. age, age, vt libet: licet, ſæuitiā omnem in nos adhibeas. proinde ò Romani præfecti cruciate, torquete, damnate, allidite, conterite nos chriſtianos, omnem crudelitatem ueſtram in nobis exercete. ad hanc vos amentiam natura peperit, uoluntas exercuit, fortuna ſeruauit. ueſtra iniquitas probatio eſt noſtrę innocentiæ. Nihil mirum, ſi hæc noſtra vos fugitis, declinatis, uitatis, aſpernamini. his uos rebus non paſcimini, his non delectamini, his non perfruimini. hæc ſunt illa munera, quę per paucis Deus largiri conſueuit. uos, ut, lutulenti, & impuri ſues, qui glandibus conſueuerunt, ſuauiſsimos, delicatiſsimaſq́. cibos ne-

que sensu gustare ualetis. Quare nihil his de reb⁹ amplius apud uos dicã, ne pergrandes, & fulgentes (quod dicimus) gemmas ad sues proiicere uideat. quod si te, ceterosq. tui similes his uesci intelligerem, ultro uobis afferrem, gratuitò donarem, idq. animo libentissimo facerẽ: studemus enim, & cupimus, omnes esse nostri similes, nostræ sententiæ, nostræq. uoluntatis participes.

Timotheus homo alioqui audacissimus his auditis, (Deus hanc audientiam Ianuarij uerbis fecerat) reticuit. deinde breui ad hæc iracundia inflammatus ita respondit. Censes, esse ullam anum, tam deliram, ut istæc credere animum inducat? dicitis id, quod omnium mentes aspernantur, auersantur, & respuunt. iã quod voles dicendo, perficere non poteris. qua dementia prò Iupiter deprauati sunt ij, qui cũ sibi semitam non sapiãt, alteri monstrent uiã. nunquid in uestra, uel Dei uestri manu est, quos uolueritis, uerborum præstigiis, ueneficiis, & cantionibus uincere, & protere? Ad hæc Ianuarius, mea potestas est nulla, sed est in cælo Deus, cui seruimus, hic non modo uincet, subiget, & conculcabit uos, & omnes, qui obediunt, & consentiunt uobis, sed etiam delebit, & ad nihilum recidere coget, nec abibit a iure. hic iniurias, & mortem seruorum suorum persequetur, expetet domestici sanguinis pœnas. Timotheus ad hæc maxima exarsit iracundia, & stoma-

& ſtomacho, ut verbum nullum fecerit; & per iram, cum qua nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt, omnia facere inſtituit, exiſtimans nihil fortiter ſine rabie,& iracundia fieri poſſe: ſed quam habebat ulciſcendi uim in aliud tẽpus melius diſtuliſſet, dum deferueſceret ira. itaque Ianuarium in carcerem coniecit, quem deinde uiuum comburendum in fornacem, quę oblato igni,factoq. incendio tres dies arſerat, detrudi iuſſit. Ianuarius cruce in fronte ſignata, ſuſpirando, oculos, & manus ſuſtulit, dicens,tamquam aurum in fornace probas electos tuos ieſu Chriſte: quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpicitur. ſis in maxima, ſempiternaq. gloria; gratias tibi agimus mirificas, & immortales pro tot, tantiſq. immortalibus beneficiis,quæ adhuc nullo meo merito in me collocaueris, nullam illorum partem non modo referenda, ſed ne cogitãda quidẽ gratia cõſequi poſſum; ago tñ ſicuti debeo,quãtas maximas animus meus capere põt.ſcio I. Chriſte preces meas te ſẽper audiſſe.iã diu pro tuorum beneficiorũ, tui nominis, tuæq. laudis prædicatione in tormentis necari cupio: libenter tuorũ hoſtium crudelitatem,omnes cruciatus,quibus ij me conficient, perferã,patiar,te adiuãte,non ſuccumbã.in harum rerũ mihi cariſſimarũ deſiderio, & expectationẽ mirifica iãdudum ſum.nullum ſupplíciũ deprecor,neq.recuſo:ſed quò oĩbus palam

fiat

fiat, te verum esse Deum, & meam de te opinionem, quam nemo tui pręsidii spe ex animo euellet meo, firmam, & stabilem inuenia tur, adesto mihi, eripe (id quod firmum teneo) me non à morte, uerum ex periculo, miseris & igne, vt tres puero tuos Ananiam, Azariam, & Misaelem olim eripuisti: hæc dicenti fornacemq. audacter ingredienti apparuit unus ex il lis cælestibus nunciis, diuinisq. spiritibus (hos Angelos appellamus) qui ad omnia, quæ Deus vult, opera & studio præsto sunt, & ades, inquit animo Ianuari, timorem omitte, ab incendio, & flamma te liberaturus, huc missus sum, non ureris, non conflagrabis, offensionem nnllam ab igni excipies, cito peruenies in cælum, quasi in domicilium tuũ. ad hæc de immortalitate animorum, de perfecta, vera, solida, æternaq. Dei gloria uerba permulta fecit. deinde in media fornace candenti inambulan tes, tanquam in uiridi, & opaca ripa Deum ca nentes collaudabant. lictores, carnificesq. Timothei. qui fornacem circunstabat, hæc exaudientes, magno metu perterriti ad Timotheũ profugerunt, dicentes rem nouam, admirabi lem, ac in omni memoria omnino inauditam tibi narrare habemus, uel ignis campanus nõ consumit, homines non capit, uel christianus ille Beneuentanus uirtute, potentiaq. sui Dei fultus prorsus nihil ab igne patitur, non ignescit uel ueneficiis id, & cantionibus fit. auribus

bus noſtris nos accepimus,illum inuocantem, & laudantem Deum ſuum uoce clara, ſuaui,& canora, quæ timorem magnum nobis fecit, quo etiam nunc contremiſcimus, illiſq. uocibus adhuc aures noſtræ undique circumſonare uidentur. Timotheus his auditis, quanquam illis fidem nullam habebat, & Ianuariũ crematum, ac in cinerem conuerſum, penitus ſibi pſuaſerat, ad fornacem tamen illico acceſsit, qua illius iuſſu aperta, repente ignes ex ea erũpunt, & homines à chriſtiana religione abhorrentes, qui fornacem circunſiſtebant, magna ex parte inflammatos incendunt. Ianuarius integer, ſanus, & lætus inuentus eſt,non deflagrauerat, nec capillos quidem,neque ueſtem eius ignis attigerat. homines qui aderant, hęc admirantes obſtupuerunt, e quibus complures puram chriſtianam religionem ſuſceperunt.Timotheus, quæ ſua pertinacia erat, quęnam inquit (malũ) Ianuari præſtigiæ tuæ ſunt? adhuc proficiunt?noli in has pergere, nã ſi pulcherrimè tibi priora proceſſerint, & tormentorum uim pertuliſti:omnibus tamen miſerrimis,crudelisſimiſq. ſuppliciis excruciato necem mehercule omnino tibi afferam, niſi ſententiam mutaueris.quod ſi feceris,uenia, & præmia tibi dabuntur amplisſima. Ianuarius deteriorẽ, inquit, te Deus faciat iniquisſime iudex,crudelisſimeq. carnifex,quam ſeruus eius uel minis, uel pręmiis commotus hanc in opinionem de

ſcendam

ſcendam,ut ſanctiſsimam religionem Chriſtianam deſeram; eam, & Deum verum non confitear. ignominias,infamiam, quam uos uocatis,laborem,uincla,cruciatus,neces cauſſa Chriſti miei huius uniuerſitatis creatoris, atque parentis numquam antehac uitaui,nec in preſentia, nec reliquo tempore,Deo adiuuante, uitabo. quod ſi ille ſponte ſua pro nobis hæc ad ſubeundum, & ſuſtinendum delegit. quid eſt cauſſæ, cur ego pro eo, uel potius pro me ipſo non perpetiar; libenter, & æquiſsimo animo non feram? ecce corpus meũ in manu tua eſt, fac quid uis de illo: ego in Ieſum Chriſtum ſolum, cuius ope, & auxilio regimur, & conſeruamur, ſpectans (quod enim aliud habeamus perfugium?) nihil timeo quid faciat mihi homo, nihil his moueor, cuncta contemno,adhibeas modo quæ grauiſsima, & acerrima tormẽta excogitare poteritis.quidquid acciderit, fortiter, ſapienter, ac leuiſsime feram. quidquid à Deo, & domino meo Ieſu Chriſto miſſum erit, patienter, & lætus accipiam, libenter amplectar, gaudebo, geſtiam,lubens denique,atque alacer ex hac miſeria, terreſtriq.uita ad beatiſsimam, & cæleſtem euolabo. & qui caſus uobis audientibus, & ſpectantibus miſerabilis uidetur, mihi perpetienti erit voluptuarius. Imperator noſter inuictiſsimus, dux ſummus, ac præſtantiſsimus Chriſtus acerbiſsimam omnium mortem oppetijt, hãc ſuis teſta-

testamento legauit,& seipsum nos sequi præce pit;si eius uolo esse discipulus,& familiaris,illũ imiter oportet, & eius vestigiis insistam: secus sine caussa labor suscipitur, frustra tempus conteritur. denegabo memetipsum, tollam crucem meam, & illum sequar. qui animam amiserit pro Iesu Christo,inueniet eam. nemini corona imponetur, nisi qui stadium cucurre rit: cum eius hostibus, quorum vnus es tu, fortissimè decertauerit. vincam te o Timothee, cum maximè victorem te credideris.nõ teme re,nec imprudenter pro Christo periculis, cruciatib⁹,mortiq.nos offerimus.Iesus Christus frustra suum auxilium implorari non patitur. tu verò rerum harum omnium crudelissimarum, & immanium rationem celerius opinione tua reddes seuerissimo iudici, qui nec precio, nec gratia à ueritate vmquam deflectit, his verbis Timothei animus cõcitatus, & perturbat⁹ est, vt Ianuariũ hæc dicentem in carcerem coniici iusserit. Postridie in foro mane Timotheus in tribunali sedens Ianuarium ad se adduci iussit,& longa blãdaq. oratione à Iesu Christo rursum alienare enixus est; deinceps ꝓposuit minas, si ultro affirmans in religiosissimis Deorũ immortalium altaribus thura non pones, ferro trucidaberis. videbis iam,an iste Deus, quẽ colis,quem ad cęlum effers,te eripere,atq.liberare à me poterit. cui respondit, nec terrore, nec minis tuis commoueor, tentatis maiori-

bus, reſtant nunc tantùm minora. iſta, quæ mihi proponuntur, non tangunt. neſcis, aiebat, homo amentiſsime, omnibus conſiliis præceps, ac deuie, quòd poteſtatem mei nullam haberes, niſi à Deo tibi data eſſet. vtinam te aliquando iſtarum rerum pæniteret, parceret profectò tibi, tuaque ſcelera impunita ferret Deus, quem non poſſe, dicis, eripere me de manibus tuis, non quæro ab eo, ut eriperet: ſi quærerem, mihi largieretur, tribueret, concederet: in huius rei, quam minitaris, cupiditate diu intemperans ſum, hæc à Deo efflagitaui, diem, ex diem expectabam, ut ex hoc corpore per hæc, tamquam è carcere euolarem, & eſſem cum eo. an obliuione contriuiſti quæ in fornace heſterna die facta ſint? Tu verò Deum iratum tibi feciſti, iratum propediem habebis: aliter cadet res, atq. opinaris. Timotheus ira, & perturbatione incitatus, omnes Ianuarij corporis neruulos incidi, iusſit, quos exectos Ianuarius contemnebat, pro nihilo ducebat, Deũ precabatur, auxilium ab eo petebat, Ieſu Chriſte, clamans, qui antequam me creaſti, noſti me, ac quo ex tempore matris meæ aluo continebar, ad hanc horam cura, prouidentiaque tua me iuuas, dux mei, & omnium conſiliorum meorum moderator fuiſti. liberam uoluntatem à te mihi datam, tibi reddidi, meo arbitratu nihil vmquàm feci, audi quæſo nunc, quẽadmodũ ſemper conſueuiſti me ſeruulum tuũ.

ſcio domine, & confiteor, te ſemper in precibus, & optatis meis mihi occurriſſe: ita & nunc mea deuotione, precibuſq. placatus cedas uelim: hæc uincula, quibus anima mea cum corpore coniuncta tenetur deuincta, & cōſtricta, reuellas quæſo, vt hinc ad te euolare posſim. Timotheus verò Ianuariū iu cuſtodia reductū quā acerbisſima morte afficere meditabatur.

Hæc dum Nolæ geruntur, Ianuarij mater, in qua filij mores poſſes agnoſcere, Beneuenti triduo ante, ſupremum filij diem præſentiit, & Ianuarium ſuum in cælū aſcendentem, in quiete uidit, & Deum ſibi hęc obiicere credēs, ſomniis ſtimulata, anxio, ſolicitoq. animo de filio quærebat: audiit tandem, illum captum iam, & comprehenſum, in cuſtodiis propediem necādum vinctum haberi. itaque præcognita liberorū nece, gratias Deo ꝓ maximis beneficiis, quibus ſe, ſuoſq. ornauerat, egit, & lamentis, & lacrymis ſe dedit. ſciebat, id Chriſtianis licere, ac maiorum noſtrorū exemplo poſſe fieri; quando Chriſtum in Hieroſolymarum exitio præcognito, & in ſui familiaris Lazari morte, Mariam Virginem in filij; omnes Chriſti diſcipulos in Stephani lacrymas effudiſſe, legimus. igitur plangore domum complens, accepto, hauſtoq. hoc magno, & incredibili dolore, cū nec ferre, nec reſiſtere poſſet, illo oppreſſa in cælum migrauit.

Hæc de Ianuario, & eius matre fama ad au-

res Chriſtianorum breui peruenit,quo tā graui triſtiq. nuntio accepto,omnes vehementer cō moti ſunt, præcipuè verò Feſtus ſacerdotū miniſter,& Deſiderius lector Beneuētani ambo, adoleſcentuli,in quibus nihil non ingenuum, nihil non moderatum, nihil non pudens apparebat: mens erat illis ſimplex,aperta, integra, nullius ſibi criminis conſcia,religionis myſteria ita tenebant,vt ex eorū vita Ianuarius magiſter facilè posſit agnoſci. Ij diuino concitati afflatu repente e veſtigio Nolā aduolarunt, & aperte ac palam crudelitatē, quā Timotheus in homines, & maximè in Ianuarium adhibebat,deteſtantur. quid eſt cauſſæ? dicebant, cur talis, tātuſq.vir in cuſtodia teneretur? quid criminis Ianuario dant ſceleratorum ſedis, atq.regionis ſatellites? quid dedecoris, quid flagitij, quid maleficij,q̄d fraudis vmquā admiſit, vel cogitauit Ianuarius,in quo vel leuisſimè peccauit aliquādo Ianuarius? omne facinus ab eo abhorrere clamabant, neminē vmquā lęſiſſe,oēs auxilio,labore, ſtudio,periculo ſuo quibuſcūq. rebus poterat,iuuaſſe, laborātibus ſuccurrere, nullā ſui cōmodi,ſalutis, vitæq.ſuæ rationē ducentē,ægris viſitādo ſubuenire, ſalutē dare,omnes in integrū, & in antiquum ſtatū reſtituere; mœſtos excipere,diffidētibus ſibi,rebuſq. ſuis cōfirmare,afflictos erigere; ſui conueniēdi poteſtatē ſemper facere,libenter morū ſuauitate, ſermonis comitate,& affabilitate omnes inui-

tare.

tare. hæc, & multa alia ab iis dicta ad Timo-
theũ perlata ſunt; qui ambos vinctos cũ Ianua
rio ad ſe trahi iusſit, interrogauitq́. qui eſſent,
Ianuarius ſuos eſſe cõmilitones, ſocios, & con=
ſortes glorioſi laboris, alterũ Feſtum miniſtrũ,
alterũ Deſideriũ lectorẽ reſpondit. Timotheus
Chriſtiani ergo? Conſeruos, reſpõdit Ianuarius
qui Ieſu Chriſto vero Deo conſecrati ſeruiunt,
ac miniſtrant, hoc ex ipſis requireret, magnã ſe
in Deo ſpem habere, ita libenter eos confeſſu-
ros, ut non ſolum fateri, ſed etiam profiteri vi-
derentur quod aliquot iam annorum interual
lo crederent. Feſtus, & Deſiderius quæſiti, ſe
Dei benignitate Chriſtianos eſſe reſponderũt.
Cur, inquit Timotheus, Nolam? ſe credere, il-
los minine omnium ignorare quæ illorũ ſimili
bus facere conſueuit. tum illi, homo nequam,
& fatue credis fortaſſe, nos nõ eſſe in deſiderio
vinculorũ, & tormentorũ, quæ Chriſtianis mini
taris? iſtis quæſo iſta horribilia minitare purpu
ratis tuis: nos harũ rerum cauſſa huc ꝓperaui=
mus, tantũ abeſt, vt hæc animum noſtrum mo-
ueant, uel de ſalute noſtra extimeſcamus: illud
vnũ extimeſcim⁹, nequid turpiter faciam⁹, quo
uno excepto, nihil duri, nihil acerbi nobis erit.
his reb⁹ vberius, & fuſius diſputatis, Timothe⁹,
quæ mala erãt, vel fortaſſe videbãtur, ea multo
maiora, & acerbiora verbis faciens, catenas Ia
nuario, Feſto, & Deſiderio iniici iusſit, iiſq́. rhe
da iũcta Puteolos uehit. quò cũ perueniſſet, in

carcerẽ,ubi Sofsius,Proculus;Eutycetes,& Acutius erant, illos coniecit, ad quorum complexum, & osculum Ianuarius currẽs, gratias Deo egit, dicens; Laudandus dominus Deus, & fummis ornandus laudibus eſt, qui iter meum huc direxit, vt quos ſemper mente, hoc tempore, antequam ex hac vita, quæ mors eſt, migro, oculis conſpicerem. Deus quæ miranda ſunt, ſolus facit, ille paſtorem ad gregem reducit; cum minime deceret, alterum ſine altero eſſe. itaque, cum debitos honores nemo illi habere, & pro dignitate ſatis commodè laudare poſſet, pro uirili parte pleno ore illum laudemus. periculorum, ſuppliciorum, neſciſq. cogitatio, & ceterarum rerum, quæ mala fortaſſe multis videri poſſent, nos ſollicitos minus habeat. omnia quæ in homine cadere poſſunt, deſpiciamus, pro nihilo putemus. timorem ſi quis fortè uobis iniectus eſt, deponite, de iis nolite laborare; animo æquisſimo ſitis, velim; quo grauiora nobis tormenta adhibebuntur, hoc ex his incommodis citius liberabimur, in cæleſtem locum ſubuolaturi, & ad Deũ ipſum regreſſuri, amplisſimis ab eo præmiis accepturi. omnem igitur cruciatum perferte, nullum ſupplicium recuſate.

Poſtridie eius diei Timotheus Ianuarium, eiuſq. ſocios è cuſtodia in circum eductos, vbi maximus arenæ numerus pridie ſparſus erat, urſis obiici iusſit, vt imbecilli, & inermes homi-

nes

nes à valentisſimis feris, immanibuſq. beſtiis laniarentur. Chriſtiani ad beſtias miſſi,& proiecti ad Ianuariũ contuẽtes ſe conuertunt: tuũ eſt,dicentes præclare cuſtos,terras, & feras bel luas à gregi timido,tremẽtiq.abigere.tu nos pſuaſionis noſtræ armis tueare,tu nos defende, tu nos cuſtodi,incolumeſq. ſerua.Ianuarius ſe, ſuoſq. crucis ſigno muniẽs,fratres,inquit,cariſſimi,num fides,quã Deo habetis, nulla eſt? cur in dubiũ vobis hæc venit? cur ſuſpenſi,& incerti obſcura ſpe,dubiaq. expectatione pendetis? nolite cadere animis, nam ſi ſanctisſimæ fidei ſcuto fidenter parati eritis, ſuper aſpidem, & baſiliſcũ asſidebitis, urſos, leones, & dracones conculcabitis, & proteretis.aderat ibi frequentisſimo theatro Timotheus ipſe in cauea ſpectaculum adeo horribile ſpectaturus. ſed vulgi miſericordiam ſecuta eſt admiratio. nam beſtiæ omni feritate depoſita, ſine vlla mora, capite demiſſo concidentes, tanquam ſi cicures eſſent, ultro ad Ianuarii pedes iacebant, illos obſculabantur, & lambebant. hæc res duabus ſellis ſedentes ex altera excluſit, in altera collocauit. qui ſcilicet in religione chriſtiana fluctuabant, quodq. certisſimum eſt, pro dubio, controuerſoq. ſumebant,penitus ſe religione chriſtiana obſtrinxerunt: non nulli ab ea remoti facti ſunt Chriſtiani. Timotheum uero pertinacem nihil mouit, nihil Ianuario placauit,nihil ad humanitatem mitigauit. nec fornax,nec

bestię flectere quiuerũt.credã hũc animo frangi;suam naturam uersare, mentem flectere nõ posse. itaq. mox ab ipso Timotheo his fere uerbis sententia acerbissima lata, decretumq.pronunciatum est. ¶ Nos Timotheus inuictissimi Diocletiani Cæsaris Augusti legatus,in prouincia Campania prætor,quæsitor,ac iudex in Christianos homines,Ianuariũ sacrorum christianorũ Antistitem, Desideriũ eius seruum anagnostem,& Festũ ministrum ciues Beneuentanos; Sosiũ Misenatẽ,Proculũ,Eutycetem,&;Acutiũ Puteolanos,quod præsetulerũt,& cõfessi sunt, se Christianos esse,& superstitione hac imbuti inuictissimorũ imperatorum decreta,& interdicta nõ seruarunt. sed respuerunt,ꝓ nihilo putarunt. quosq. nulla nos ratione, nullis præmiis,nullis minis, nullis cruciatibus sanare potuimus,vt aliquãdo resipiscerẽt,& sublata religionũ cõfusione,ignotisq. cœremoniis in Deũ nescio quẽ nouum,& alienigenã,sanctam deorũ immortaliũ religionẽ colerẽt,capitis condẽnamus: eorum igitur capita ceruicibus abscinduntor;cadauera inhumata proiiciũtor, omni honore sepulturæ carẽto,auibus,canibusq. dilaniãda abiecta relinquuntor,nõ uruntor,nec ossa legũtor.qui secus faxit,paricida esto.hac eadẽ pœna tenetor. Ianuarius hac audiens, cælũ suspiciens, dñe, inquit,Iesu Christe,qui de cælo delapsus libentissimè hominũ vitã ex nimis fero,& immani generis humani hoste tuis incõ-

modis

modis,& morte redemisti, si pro immortalib⁹ meritis in me tuis parũ cumulatè gratias ago, quęso,obtestorq.ne mihi potius, quàm tuorũ magnitudini beneficiorũ id tribuere uelis. dolorẽ meum tibi cõcedo.has tã atroces iniurias à me ꝓpulsęs nolim. quas uolũtaria obliuione contero.rursum,ut te uerum Deum esse, ac de tuis seruulis tuendis curam te attingere, inter omnes constet, oro, ut priues hũc oculis,quos mei cruciatu pauit, ne amplius cælum sedem tuam intueri,& suspicere posſit.per te ulciscar, tu iniurias,mortemq.meam prosequere,& omnia hęc in Timotheo uindica. aderant præsentes nonnulli, qui hæc audientes, Ianuarium ridebant: sed uix dum illis dictis,Timotheus cæcus factus est, lumen & aspectum omnino amisit, & in tenebris, obscuraq. caligine constitutus, intimis sensibus angebatur,corporis dolore ardens, palam uociferabatur, suam cæcitatem dolenter deplorabat. quare protinus Ianuarium, qui ad supplicium trahebatur, e cliuo ad se reducendum iusſit. Ianuarius id resciens, gratias Iesu Christo egit, quòd longas preces à se nũquam expectarit, seipsum intuitus, precibus suis cesserit; Timotheum communi luce priuauerit, cùm ille multorum animos à Iesu Christo auerteret; quamplurimorum Christianorum sanguinem funderet,templa,sacras ædes cruentaret,ministros ad cœdẽ, & cruorem extrahere numquam cessauerit.au

diens

diens Timotheus Ianuarium adesse, certo, inquit, se scire, ipsum Dei principis excelsi, qui omnia creauit, & omnem hunc mundum regit, intimum esse, ne dum ministrum, ipsum ergo rogat, atque obtestatur, quem plurimũ apud ipsum Deum ualere senserat, pro se intercederet lucẽ, ut oculos, quibꝰ bene uideret, aperiret. Ianuarius grauissimis Timotheũ reprehẽdit verbis, illius scelus liberius accusat, multa asperè, confidenter, liberè in illum dixit; deinde Deum Abrahami, Isachi, Iacobi rogauit, ut in illis precibus sibi occurreret, Timotheo indignissimo salutem (si ipsius Dei uolũtas feret) restitueret, ut tota populi corona, qua septi erant, agnosceret, ipsum solum Deum esse, & præter illum, quod ipse non posset efficere, & hoc quidem sine ullo labore, nihil esse: Christianæ disciplinæ ratione postulare, vt non solum malum pro malo non referrent, sed etiam bonum pro malo, & id bono uincerẽt. uix hæc Ianuarius dixerat, continuo Timothei oculi aperti sunt, illisq. lucem cœpit conspicere, caligo illa discussa, vniuersusq. corporis dolor exhaustus est. Turba tot, tantaq. miracula, & inusitatas, & nouas res uidens à vitę prauitate, & à Deorum superstitione ad Christianam religionem, veriq. Dei cultum animos conuertit. Habeo domi auctorem satis idoneum, ab omnibus probatum, & diligentia & vita, bonum, mea quidem sententia, ex ijs, quos nunc le-

legimus,qui dicat,hominum fere quinque mil lia hic, & Nolæ ex his miraculis commutatos esse totos, & Christianos esse factos (multi.n. Nola Puteolos Ianuarium prosecuti erant, partim in curiositate auidi res nouas, & insitatas visuri; partim studiosi,& obseruantes Christianorum: Campania propè tota breui tempore in eum locum conuenerat) dicentes,confiteamur,hanc huius uiri veram esse religioné; nos anili superstitione obligatos, extimescamus omnia à tanto huius viri Deo, vel saltem, ne suorum mortem morte nostra iustisimè vlciscatur, & supplicium de nobis sumat grauissimum, & omnes nos pariter cum filijs nostris Romanorum magistratuum uitio, sæuitiaq. breui tempore fœdisimè pereamus. animos igitur commutemus, omni ratione flectamus, & religionem Christianam complectamur, colamus, talesq.homines obseruemus,vel concidat omne cælum, omnisq. natura consistat; nos Christianos esse nostra voce prædicemus. Thimothei animus tanta omnium voluntatis, & morum facta commutatione, in consultando, & deliberando distrahebatur, & ancipitem cogitandi curam afferebat; cognoscebat profectò ipse, à Ianuario se sanatum, repetebatq. memoria omnia, quæ diuina in eo esse viderat: rursus, metuebat omnia à Cęsare, cuius imperiū sequebatur, & mādata efficere studebat. itaq.incertus quid ageret, hærebat in sa

lebra, ad extremum uenerat. Quare miracula huiusmodi esse videmus, ut in omnibus hominibus admirationem efficiant, sed non omnium animos moueant, & excitent. pijs religionem afferunt, ceteros faciunt impios. Lætare Ianuari, lætare; effer te lætitia, gaudijs omnib⁹ exulta, & in ista te voluptate gestire, licet. vincet, vincet tandem procreator ille mundi Deus, imponet tibi hoc tēpore huius necis gratia auream coronam, quam ante mundi fabricam tibi decreuit. habebis certam iam; nemo ex Orci satellitibus valebit te illa priuare: nam Timotheus Dei permissu septem Christianorum capita ceruicibus abscidi iussit. miser, infelix, ac dementissime Timothee, tua nimirū fortuna cęca, aduersa, mala, duraq. fuit: septē animas ad Deum misisti, quò tibi ire nō licet. ò quam felicissimus, beatissimus, sapientissimusq. fuisses, si illius rei, qua donabas alios, prior ipse partem sumpsisses. hanc profectò socius in illa sanctissima societate nunc haberes (utinam hanc tibi Deus mentem donasset) certum ac definitum, inquam, locum illum in cælo, ubi uiri, quos stupidos, nullius consilij, mēte captos, & male sanos esse tibi psuaseras, immortalitatē assecuti cum Deo beati æuū agūt.

¶ Ianuarius iā damnatus ducebatur ad mortem, cùm vir quidam Christianus, qui se non omnibus indicauerat, ei occurrit, ad eius pedes stratus in loco beneficij, & gratiæ petit, &

plu-

plurimis uerbis rogauit ut partem ſuarum ueſtium ſibi donaret, cui ſacrarium domi ſuæ in tantæ ſanctitatis uiri memoriã piè, religioſèq. faciet. cui Ianuarius, nihil tantum, eiuſq. pietate dignum ſe habere reſpondit; ſed, quo ille teneretur, deſiderium ſe lenire conaturum: eſſe tamen ſibi ſudarium, quo ipſum tunc donaret, uerùm, vt ſtipatores oculis ſuis uiderẽt, Chriſtum ſolum eſſe Deum, eo ſe inuoluturũ oculos ſuos, deinde ſuo ſanguine tinctum ad ipſum ſtatim allaturum. Peruenerat iam cum lictoribus, & carnifice ad forũ Volcanium ſupplicij locum (nunc ſulphataria vocitatũ, quòd abeſt à Puteulis D. paſſus, ædicula nunc ibi conſpicitur ædificata) & genua ibi flectens, capite ſudario inuoluto dixit, In manus tuas domine Ieſu Chriſte filij Dei uiui commendo ſpiritũ meum; deinc ad carnificem, age ſis ſerue, ac miniſter Orci, reuelle hæc uincula, libera me ex corporis cuſtodijs, noli rem diutiùs differre, quominus Ieſu Chriſto meo fruar; dabitis hoc tandem nobis uel inuitiſsimi: ita Deus uobis omnibus mentem mutet, ut inexhauſta huius rei auiditas in me eſt: uideo Ieſum Chriſtũ paſſis palmis nos expectantẽ; excipiet, amplexabitur, in manibus habebit, noſq. præſentes oſculabitur. hæc dicens ceruicem tortori dedit, qui gladium e uagina eductum diſtringens caput è ceruicibus abſcidit. quod dum nimium feſtinanter faceret, digitum Ianuarij cum capite

exe-

execuit.xiij.Kalend. Octobr.anno fere,ut supra dixímus,post natum Iesum Christum CCCV.

¶ Hoc interim spatio sudarium illud Ianuarij sanguine madefactũ magno in puluere voluebatur ad pedes lictorum, qui per ridiculum maledicè, contumeliosèq. dicebant Ianuario, ut surgeret, cũ dependendũ illi esset, quod seni spoponderat, faceret quod promiserat, sudariũ afferret. redeuntes verò Puteolos hæc eadẽ repetentes per iocũ seni illi, obuio dixerũt; qui respondit, Christianos illorum similes non esse; sed quę promittunt, præstare, sanctissimè obseruare, diligentissimeq. post mortem, Deo adiuuante, facere, Ianuarium eo tempore manifestè sibi apparuisse, & in cõspectum se dedisse, sudariumq. ipsum retulisse; & hæc dicens ostẽdebat sudarium recentissimo Ianuarij sanguine tinctum. apparitores aspecto, agnitoq. sudario, rem tantam admirati; stupuerunt, & quæ gesta erant Timotheo exponere decreuerunt: verùm maioribus occupationibus distinebatur. vix hanc vitam Ianuarius desierat, cũ Thimotheus animo, intimisq. sensibus angi, corporis doloribus cruciari; & consumi cœpit, acerbissimumq. dolorem, quem nullus medicus, nulla ars, nulla ratio eripere, uel mitigare poterat. itaque patiebatur, persentiebat, uociferabat, ingemiscebat, eiulabat, eius clamoribus tota domus percrepabat, & vocibus personabat: se omni crudelitate lacerasse mini-

strum,

ſtrum,ſacerdotem,& familiarem Dei viui,à cuius cæleſtibus nuntijs ſeipſum acriter nũc torqueri confitebatur, & Ianuario pœnas debitas dare cogeretur. hæc dicens vita priuatus,præceps in ſceleratorum ſedem, atque regionem actus eſt.

¶ Hoc tempore curſim vndique,vt ſupra diximus,Puteolos cõcurrebatur,Chriſtiani ex diuerſis locis confluxerant, & in ſanctorum cadauera oculos coniecerant,alius in aliud,vt clam abducerent, & in patrias ſuas ſepelienda comportarent, idque noctu,quando per legem palam, & die minus licebat, facerent. Erat per idem tempus Puteolis Neapolitana quædã vetula, chriſtiana ſanè mulier, quæ valetudinis cauſſa in illa loca uenerat, hæc audiens id, è lectulo ſurrexit:Deus enim uires huic, & animũ dabat: poterat & hoc ipſa facere, & quò vellet progredi ei licebat. nemo de illa aliquid ſuſpicabatur, eam obſeruabat nemo: cohors prætoria tum etiam funus Timotheo faciendum curabat;hæc cum duas ampullas prendiſſet,in vna verum, & incorruptum ſanguinem; in altera deprauatum, & vitioſum collegit (ventus enim deprauauerat) & omni feſtinatione ꝓpe perans, cùm ſine timore eſſe non poſſet, paleam in hac poſuit, quam paleam etiam nunc in altera ampulla uidere omnibus licet.

¶ Vir etiam quidem Neapolitanus, qui beati Ianuarij corpus tollere, & Neapolim portare

re decreuerat, luce multam noctem expectãs, quiescebat, cum B. Ianuarius ostendit se illi ea forma, qua illi antea notus erat, & hæc in somnis dicere uisus est. scio frater, te corpus meũ hac nocte hinc remoturum, in tuam patriam reportaturum, in sepulcro condendum. cũ igitur facinus hoc pulcherrimum, & præclarissimum facere in animo habeas, diligenter perquiras velim digitum vnum ex meis, qui cum capite gladio præcisus, in vepres, & dumeta ꝓsiluit, eumq. in sepulcrum, in quo me constituetis, inferas. Deus maiori, diuinoq. munere quo Tobiam, & alios similes, te remunerabitur; tibi magnam tui laboris mercedẽ tribuet. ego patrociniũ omnium vestrum in perpetuũ suscipiam, acerrimus Neapolitanorum defensor apud Deum, & custos ero; custos, ac præses appellabor; in omnibus rebus subueniam; in votis, quæ mihi facient, occurret Deus. commendatissimi denique semper mihi erũt. Neapolitanus de multa concubiaq. nocte veniens, beati Ianuarij corpus, & digitum sublatum abdidit in locum quendam Marcianum appellatum non longè à Puteolis.

¶ Reliquos sex Christianos eodem affecerũt supplicio, eademq. mortis acerbitate perimerunt. Nono scilicet Kalend. Octobr. ut nonnulli scribunt. nam sperauerat Timotheus sublato Ianuario, fore vt adolescentes vel illecebris delinitos, vel metu debilitatos de veteri sentẽ-

tia

tia deterreret, & in ſuam deduceret. ſed actũ iam erat de hoc, alia magis quærere debebat. Ij fuerunt ſeptem viri fortiſsimi, ac ſapientiſsimi, qui religionem Chriſtianam veram eſſe, publicè, ac palam confirmarunt nece ſua, & vitam pro illa profuderunt. hos teſtes, cùm nulla re, quæ ad timorem ſibi præponebatur, terreri potuerint, quin verum dicerent, Deus de vniuerſo genere humano, atque de ſingulis purum, certumq. iudicium facturus, producet: ijs, alijsq. teſtibus à ſe remotos conuincet. hos teſtes refutare, nulli potuerint. ij ſeptem (numerus hic pleniſsimus, & perfectiſsimus omnium eſſe dicitur) veluti ſeptem ſtellæ coronam in cælo quouis aſtro clariorem, illuſtriorem, ac ſplendidiorem conficiunt. ad rem. Horum corpora diu ibi iacuerunt, maceria contecta, qua cæli, & impiorum hominum iniuriæ ab illis corporibus propulſarentur. ſed ij, Deo adiuuante, in ſummo nocendi ſtudio, Chriſtianis fauerunt, nam quod ſua ſponte, & voluntate faciebant, præter eorum optatum, ſed valde ex Chriſtianorum voluntate accidit: lapides enim iaciebant, iniurias Chriſtianis inferre putantes; verùm indigni profectò erant, qui oculis conſpicerent ſanctiſsima illa membra diuini ſpiritus auguſta olim templa. Hòc in loco, ne tantorum, atque talium virorum memoria ex hominum animis diſcederet, & huius rei poſteritas omniũ ſæculorũ immemor eſſet, pij homi

nes ædiculam posterius,quæ etiam nunc extat, fabricati sunt.

¶ Postea cùm proscribendorũ,& persequendorum Christianorũ intermissio esset facta; & remp. Christianã paullulũ respirare, ac requiescere impij homines finerent,vir hic detulit rẽ ad ciues suos; se scilicet beati Ianuarij corpus abditum habere,ac Neapolim sepeliendũ portare, constituisse.Neapolitani vnà cum suo pontifice,sacerdotibus, & ministris. populus Neapolitanus maiori ex parte per id tempus Christianus erat. gratias Deo . Ianuario,& uiro illi agentes, omnibus,lætitijs incensi,& elati lõgissimè ad cõstitutam diem huic corpora beati Ianuarij, Eutycete, & Acutij portanti obuiã processerunt,qui cùm Neapolim peruenissent, (quamplurimis Ianuarius viuus notus erat) diem festum agentes illud in fano humauerũt, monumentumq.ex lapidibus illi fecerunt;marmoreum enim, & ex argento simulacrum,quæ nunc pulcherrima conspiciuntur, longo post tempore ab hominibns à Ianuario sanatis facta sunt. templum autem sancto Ianuario dedicatum, quod Archiepiscopatum, & Episcopion græco verbo nuncupamus DCCCCLXV. fere annis post Carolus Andegauiensis I. fecit, quod fuit anno MCCLXX.exinde plura templa, ædiculas,sacella & aras,& intra muros, & extra beato Ianuario consecrauerunt.

¶ Anus illa Neapolitaua,quæ sanguinem col

legerat,

legerat, audiens Ianuarij corpus auguſtè, ſanctèque à ſuis ciuibus conſecratum coli, religionem ſibi exiſtimauit, huius viri ſanguinem cùm longe à corpore eſſe, tum apud ſe conſeruari, nec iuſto, debitoq. honore affici. itaque cũ apud ſe recte eſſet, aliquot menſibus, vel annis poſt in patriã redire circiter Kalendas Maias, & beati Ianuarij ſanguinem ſecum in ſacram ædem condendum portare ſtatuit: prius tamẽ Neapolitanos ſuos hac de re certiores fecit. qui omni voluptate perfuſi (quidnam amplius deſiderare poterant? quid erat per Deum hoc nuntio optabilius?) luce palam ſobrij in templó ſaltabant, extra numerum ſe mouebant. Põtifex Neapolitanus, nihil eſſe renũtiauit, quod illa ſibi gratius facere poſset: ſed cùm vererentur, vt mulierculàrum ſomnia eſſent, cibũ nullum capientes, diem ieiuni omnes Chriſtiani fuerunt, & à Deo Ianuarij rogatu impetrauerũt vt viã, quã ad id, quod volebant peruenire poſſent, ſibi ipſis monſtraret. ad conſtitutam igi tur diem annus veniebat Puteolis cum ſanguine, & ſacerdotes Neapolitani ſertis redemiti vel incredibilis lætitiæ, vel nimij ſolis ardore cauſſa cum publica ſupplicatione caput Ianuarij in vehiculo thenſæ deferentes obuiam prodierunt. nemo non lecticarius eſſe concupiſcebat. factum eſt, vt altera alteri obuia facta ſit incerto quodam vico Neap. res noua admirabilis, ac prodigijs ſimillima accidit: ſanguinis,

qui septimum iam mensem, dies aliquot, & annos, frigoribus, & temporis diuturnitate conglaciauerat, admotus ad caput, agnouit propriũ domicilium, illis sanctissimis membris assurgere conatus est; & nõ secus ac esset admistus calor, subditiq. ignes, liquefactus efferbuit, & dilapsus diffundi cœpit. continuo, remoto corpore, conglaciauit: itaq. ex his miraculis, rebusq. nouis, & inusitatis, & inauditis, oẽs intellexerunt, cognitumq. habuerunt, hunc esse verũ & germanũ S. Ianuarij sanguinem. ita factũ est, atque constitutum, & in hanc consuetudinem Neapolitani venerũt, quã semper tenuerunt, ac Deo adiuuante habebunt, vt hoc apparatissimum spectaculum quotannis in vna tantũ ex tribubus nobilium, quas ipsi sessiones, vel sedilia vocant, à nobilibus eodẽ die detur, & sexto quoque anno à populo tãtum præbeatur in foro Sellaria ab ipsis nominato. Fuit hic septimus dies primæ hebdomadis mensis Maij, quẽ nos saturnium, vel sabatum iudaico vocabulo nominamus. dies hic festus spectatur magno theatro, visendus argento, veste, omni apparatu, atque ornatu, vijs thensarum, & põpæ aulæis cõstratis, & floribus conspersis. id ex ordine singulis annis sollemni publicoq. sacrificio, & pompa fieri solet hoc modo. Mane ad porticum illam sedile ab ipsis vocatam, tabulis bene pictis, signis peristromatibus, argento, auroq. ornatam apportant Sancti Ianuari caput inclu
sum

ſum, & reconditum in vaſe ſignoq. ex argento, in quo ipſe Ianuarius formatus eſt, atque ibi collocant quoad Neapolit. Pontifex, & ſacerdotes ſertis redemiti (vt ſupra dixim⁹, & iccirco vocatur feſtus dies ſacerdotum ſertis redemitorum) poſt meridiem cum publicis ſupplicationibus, & ex argento ſimulacris ceterorum, ſex ſanctorum præſidum, atque cuſtodũ vrbis Neapolis vicatim illuc portant ſanguinem ipſius ſancti Ianuarij: omnia interim cantu uocum, neruorum, & tibiarum perſonant. ſanguis admotus corpori, ac e regione collocatus efferueſcere incipit, & non ſecus ac ſi nunc venæ inciderentur alicui, ſanguiſq. funderetur, vel eſſent ſubditi ignes, feruet, ac erumpere nititur. Palea, quam cum ſanguine collectam eſſe, diximus, natat, & mouetur: ſubtracto verò capite, dureſcit ſanguis, & cõglaciat: inde omnia cum cantu, & ſymphonia in templum reportantur. ſæpe id noſtris oculis nos vidiſſe omni aſſeueratione affirmamus, ſtudioſius, diligentiuſq. ceteris hominibus, intentis oculis ſumus intuiti ob hanc rem, vt omnibus veriſsimum iuſiurandum iurare poſsimus. Senes confirmant, perſuaſeruntq. omnibus, ſi ſanguis hic aliquando (quod Deus perpetuo à nobis auertat, & deteſtetur, ne in poſteritatem videatur) cum ferculis menſe Maio per vrbem portatur, non liquefieret; vel calamitoſum bellum, vel annum peſtilentiſsimum,

vel duram annonam, frugum inopiam, famē, direptionem, vel fatum aliquod, aut malū huic regno impendere, aut instare iam planè, & appropinquare. id de S. Ianuarij sanguine, vt cū admotus fuerit capiti, & è regione collocatus liquefiat, non tantùm hoc tempore euenit, ut fani sacerdotes mihi affirmant, sed quotiescunque in ossium conspectu locatur, tum etiā cum malum aliquod (beatos suorum miserijs commoueri credam) Christiani habent, vel aliquid premit, & impendet, sanguis liquefit, nec prius durescit, quam illud opprimatur, aut sedetur. quod visum est anno fere M. D. L. post sanctissimę partum Virginis, cum Turca hostis nominis Christiani loca maritima agri Bruttij vastauit, & diripuit: & M. D. LV. cùm Tempsam, & Paulam patriam S. Francisci, quæ sunt opida eiusdē agri, & Surrentum depopulatus est, ac hostilē in modum vexauit. ad hæc, æditus adiurat, hanc æstatem sanguinem mollitum tabescere, dum Melita insula Turcarum telis, & facibus obsessa, impijs hominibus minitantibus ferrum, & flammam Christianis, circum sederetur. quæ religiosi milites malis confracti & animi, & corporis doloribus confecti, metu abiecti, diuinitus corpore effugerunt, obsidione liberati, bellum illud exitiale, & calamitosum, magna hostium clade extinctum est.

¶ Si plebeij, minorumq. gentium Theologi

Germa-

Germani recentiores, qui duce quodam temulento perfuga, perduelli, fallaci sophista, inhæresi quadam sunt, Maumethanæ sectę non longè dissimili, viderent quæ nos, sanguinē in conspectum sanctorum ossium adductum liquefieri annorum iam amplius M.CC.LX. interuallo, palinodiam darent, à furore, & à scelere sese reuocarent: sed scimus, pios ex miraculis sanctiores euadere, magisq. pios; impios duriores, & nequiores fieri. cera igne liquescit, creta durescit. perditi homines huius sceleratissimæ conspirationis in rempub. Christianam se Deo caros fore persuasum habent nullam aliam ob caussam, nisi ob res nouas, & inusitatas, quas Martinus illorum Dux principio fecit, hoc est, puellas, & pueros, qui Deo se deuouerant, & sanctissimè vixerant, virgines esse non siuit, eos vt parentes vocarentur, impulit. sacerdotes, & virgines vitę sanctissimè, honestissimeq. actæ cursum tenere prohibuit; & morum omnium mutatione facta, noluit, & hos christum, & eius matrem, & discipulos imitari. Lutherus dat luxuriæ licentiam, libertatemq. viuendi, quàm præcidit nobis Christus, & eius legati: ò fœdam, atque impuram licentiam. Lutherus pollicetur, dat, docet quæ non modo ab huius sæculi licentia, uerùm etiam à maiorum consuetudine, atque concessis abhorrent. currite, currite omnes virgines, omnes viri solitarij, confugite omnes, qui laboratis, & onerati

estis,ad Lutherianos impuros, sacrilegos, impios, effeminatos, posteriores, ganeones, nepotes, edaces, ebriosos, gurgites, atque helluones nequissimos,& spurcissimos, natos ab domini suo, non animæ, nec reip. Christianæ procreatos. reficient profecto vos, & in integrum restituent cenis ante lucanis,stupris, incestis,& omni nefando scelere. Lutheriani latronum ritu viuentes latrocinantur, vasa sacra ex sacro surripiunt; omnia,quę possunt, fana cõpilant, cùm sacris, & delubris bella gerunt. Iudas Iscariothus Iesu Christi sui magistri proditor ista vos ò Lutheriani docuit: huius exẽplo, & auctoritate istæc facitis. quòd si quis forte isto loco Christianus Deum venerari vult,Deũ, aut sanctos in sua vrbe; ad quos confugiat, non habet: cum eorum simulacra, & ossa sanctissima,immo Christum ipsum ex delubris religiosissimis vos Lutheriani sacrorũ omniũ hostes, religionumq. prædones sustuleritis,incendistis, ex sacro profanũ fecistis,pecuniã conflastis,quę in res vanas,& impias impenderetur: rẽ nõ mõ visu fœdã, sed etiam auditu: sed de hoc alienũ mihi vobiscũ expostulandi tẽpus est;actum agimus. vos Christum, & eius præfectos non auditis,nec me audietis. cuperem omnes homines Christianos esse.Eheu vos miseros à rep. defecistis, ciuium iura non tenebitis. omnium rerum rationem reddetis. quo delictũ maius, eo pœna est tardior.Lutherum conquisiuistis,

Luthe-

Lutherum reperietis, ipse vos expectat apud inferos pœnis præparatis vobis. Lutherum secuti estis; Lutherum uobiscum habebitis, illo familiarissimè vtemini, à Christo discessisti, lõge à Christo aberitis. hæc est summa conclusionis meæ, redite, redite tandem aliquando per Deum ad bonam frugem, adhuc estis in via; fateamini vos peccasse, vestri delicti veniam petite, dabitur vobis. scelera vestra impunita feret Iesus Christus clemens, in omnes misericors, ad homines subleuandum prontissimus, ad ignoscendũ semper paratissimus. recipiet vos, recipiet ex inimicitiis in gratiã, amicitiã, & fidẽ suã ita cuique eueniet, ut de re quisq. meritus est; secus non impune feretis, eritq. vobis sed ad propositum redeat oratio nostra, & de aliorum sanctorum corporibus aliquid quã breuissimè poterimus, dicamus.

Misenates Sosij sui ciuis corpus sustulerũt, & in fano, quod ei postea dedicarunt, sepelierunt. hoc vero tempore Neapoli in æde S. Seuerini Benedictinorum sub ara grandiori sepultum vna cum S. Seuerini corpore summa religione colitur, & eius nominis memoria etiã nunc celebratur. Non. Kalend. Octob. Puteolani idem fecerunt de Proculo suo, quẽ sacris anniuersariis colunt xvj. Kalend. Nouemb. quo tempore hæc gesserunt.

¶ Festi autem, & Desiderij corpora Puteolis

Bene-

Beneuentum hoc modo reuecta ſcribuntur. Erat Beneuēti Cyphius quidam vir primarius, locuplex, & pecunioſus, ſed à rep. Chriſtiana omnino auerſus. hic multos annos cum vxore vitam vmbratilem, & delicatam vixerat: dolebat tamen in tanta voluptate, liberos non habere, qui paternorum bonorum heredes ſtirpem propagarent, audiens tandem quot, quātaq. Ieſus Chriſtus per Ianuarium, & eius ſocios ageret, vota fecit Deo, & ſuis ciuibus Ianuario, Feſto, & Deſiderio, illorum corporibus in patriam reportatis templum ſe conſtructurum, & ſe, totamq. domum chriſtianam religionē ſuſcepturum, vt filios ex vxore procrearet. Deo piorum deliberationes ſemper ſuſcipiente, rē hanc perficere cogitans, diuino quaſi ſpiritu afflatus, nactus hominem chriſtianum, & pauperem, cui benignē, prolixēq. pollicitus eſt, vt profectus Puteolos verſus, ſanctorum chriſtianorum Beneuentanorum corpora, vel vnū, aut alterum, & ea vel innumerabili redēpta pecūnia, idq. vel furtim faceret, vel precario omnes rogaret, curru Beneuentum ad ſe veheret. homo hic acceptis carbaſeis velis, vehiculo, & ceteris rebus ad id, quod propoſitum erat neceſſariis. Puteolos petiuit, vbi neſcio caſu, an diuino afflatu, Feſti, & Deſiderij corpora reperit, quæ ille, & omnes alij poſt Beneuenti aſpexerunt, & cognouerunt. iis in plauſtro collocatis in viam ſe dedit: c[illegible] accerrimus generis humani

mani aduersarius, multos ex hac re christianos euasuros esse, præuidens; rem, quominus perageretur, interpellare statuit; hæc omnia proferenda, & patefacienda, curauit. Ecce quidam ad pro prætore cucurrit, christianorũ occisorum corpora, à quibus canes, & aues se abstinuerant, omnia ablata esse, & Beneuentum sepelienda, & vt deos à christianis veneranda portari detulit. proprætor hæc audies misit apparitores, qui furem, & cadauera constricta vinculis ad caudas equorum religata Puteolos ad se traheret. christianus Beneuentum aduentabat, ac prope aderat iam; cum voces ad aures eius peruenerant, ut surgeret, præsto esse, qui se Puteolos retraheret, pareat consiliis suis. Essedarius intelligens, sanctos hęc sibi dicere, & monere, illorum auctoritatem, consiliũq. secutus, de uia cũ uehiculo declinauit, abdito curru, in viã prosiluit, cum subito ecce satellites, illum interrogant, num quis cum curru cadaueribus onusto locum illum esset transgressus? christianus homo quidem minimè mendax, nec mendaciũ, quod à sanctis admonitus fuerat, illis dixit, sed facetè illos elusit, & fefellit nullo mendacio, verba tamen dedit. Ego boues meos, respondens, vt videtis, pasco; ita quiete in pace viuamus, pacemq. habeamus semper, ut hoc iter nemo fecit, hoc mihi iurato credatis velim. satellites libenter credulos se præbuerunt, & fidem his verbis tribuerunt.

auctoritatem enim nescio quam habere præse ferebat christianus, humilis tamen, & tenuis: nec satellites vestigia impressa, quibus currum persequi possent, videbant. Deus fortasse illa nec apparere, nec extare voluit. redierunt tandem illi Puteolos, hic Beneuentum. quo in loco deinde homines pij ædiculam ædificarunt, quæ etiam nunc uisitur in via, qua Neapoli Beneuentum itur. Sacellum vocatur, in quo sanctorum corpora conquieuerunt à Beneuento Cyphius receptis sanctorum corporibus tecto, sedibusq. suis, ædium suarum partem Festo, & Desiderio consecratam religione christiana deuinxit, & christianus factus liberos ex vxore suscepit, & ad Dei cultũ erudiit. multos præterea res nouæ, & inusitatæ, quæ quotidie in horum sepulcro fieri conspiciebãtur, à vitæ prauitate ad Iesu Christi cultum cõuertebant. Hoc tempore esse dicuntur apud socios S. Gulielmi Benedictini prope Abellinũ Hirpinorum, ubi dicitur Mors Virginis.

Non alienum omnino instituto meo esse arbitror, quamquam uitam scribimus, aliquas inusitatas res, atque nouas ascribere, quas Deũ post S. Ianuarij mortem, ipso intercedente, fecisse, accepimus. si enim Christiane lector lacrymarũ uim profudisti, frontem, superciliũ, & animum contraxisti, insatiabilem legendo Timothei crudelitatem sanctorum Ianuarij, & sociorum sanguine expletam, ex eorundem

post

post mortem felicitate, & gloria adhibere cõsolationem aliquã necesse est: ne quis impius, & Veioui amicus, Ianuarium posteaquam à nobis discesit, ex memoria suos depósuisse, suspicetur, cum piè, inuiolatè suorum memoriam conseruat. arescant igitur lacrymæ, ad animi, superciliiq. remisionem descende. erigemus, atque recreabimus te nouas, & inusitatas res aliquas ascribendo. exemplum petes, ut afflictus rebusq. tuis diffidens ad cuius misericordiam, & opem confugere scias, veruntamen à te magne Ianuari uenia nobis pri' est petenda, si aliquas præteribimus, & omniittemus. quod summorum uirorum exemplo facimus, iure fieri putami'. quattuor viri, qui Christi uitam conscripserunt, non omnes res gestas illius narrarunt, & complexi sunt. quis Cicero, quis Liuius, quis Demosthenes, quis Herodotus hæc tua liberalissime Ianuari quambreuissime omnia percurrere poterit? multa nos quotidie uidemus, plura nostrorum patrum ætas, qui summa pietate, quæ Deum placatum efficit, & summa religione erga te fuerunt: ad rem.

Aliquot ab hinc sęcula, hoc est DCLXXXVI. Benedicto II. Pont. Max. ex Vesuuij uertice, qui mons est in agro cãpano propter Nolã ignes eruperunt, serpebat hoc malum, latius hominum opinione disseminatum manabat per totam campaniam, & iam magnam

eius partem occupauerat, multa loca in illa, & in Picentinis ignē, Deo permittente, conciperant, conscelerati fortasse stomachum illi mouerant: ignis omnia consumebat, & maior in dies fiebat; permanebat, cum non aleretur, nullo pastu indigebat: in aquam coniectus nō extinguebatur, nec refrigerebatur, lapides euomebat, & iacebat; magna saxis lapidatione, atque horribili terræmotu facto, multa opida euertebat. Neapolis ad xij. milliarium contremiscebat, saxa, & cineres uolare videndo; iam iamq. incendio arsura timebat, itaque malis oppressa iam nec caput extollere, nec recreare sese, atque erigere poterat; uersabatur in lubrico, maximo in periculo reserat. oēs emori cupiebant. rediit tandem ciuitas ad se, commeminitq. illius Dauidis dictum. Cōclamauerunt ad dominum, cum in summas angustias adducti essent, & ex periculis, faucibus, & miseriis eripuit eos. qua de caussa ad sancti Ianuarij tumulum conuenit (plura adiumenta per S. Ianuarium importata erant; quod non coniectura prospexerant, sed iam experti viderant. declarauerat enim sæpissime Ianuarius, quam sibi suorum Neapolitanorum salus cara esset) lacrymis, & tristitiæ se tradidit; & temperatis escis, modicisq. potionibus affecta, timore, & periculo sublato, salutem accepit, & Deo maximas, vt debebat, deinde etiam Ianuario pro tantis meritis gratias egit.

Sabinus

Sabinus quidam nobilis, Clemens adolescẽs sacerdotum administer Neapolitani, & Gregorius Campanus tribunus diuersis temporibus morbo graui, & mortifero affecti, & de sanitate, ac mente deturbati, cum nihil ad uiuendum spei haberent, multos dies, & noctes nec somnum, nec cibum capere, nec se mouere, uel loqui possent, ad sepulcrum S. Ianuarij deportati, propè desperati, suis, suorumq. precibus sanati sunt. Florentius quidã Romanus per Ianuarium cõsul creatus in marmorea ara à se ædificata suum simulacrum è marmore posuit.

Cum anno fere Christi D C L. Neapolis Lógobardorum, Saxones esse non nulli sentiunt, telis obsideretur, & oppugnaretur, Albinus quidam Neapolitanus fame confectus, & multis difficultatibus, & incommodis, quæ bellũ dare solet, affectus periniquo hæc patiebatur animo, Neapoli ad hostes egressus, patriam illis proditurus in via visus est videre S. Ianuariũ vrbis Neapolis custodem, à quo male acceptus, & minis, atque terrore commotus, ne illud faceret, timore deterritus, rediensq. à suis captus, temerarium consilium omnibus indicauit, & se Ianuarij voce de suo itinere reuocatum retulit.

Erat vidua nomine Maxima in Aenaria insula, religiosa prorsus mulier, cuius bona omnia, amicos, affines, cognatos, parentes, maritum, & filios

& filios conſumpſerat ferrum, & ignis, quo tẽpore Gallus diripuit, & vaſtauit regiones, quib' regnum Neap. continetur, unicus tantum huic ex omnibus iis reliquus erat filius, vnicum in tantis malis ſolatium. hic erat illi leuationi, hoc in ſumma mendicitate, viduitate, ac ſolitudine alebatur. fortuna verò humanarum rerum, vt ſic dicam, domina ea eſſe conſueuit, vt quibus bona largita eſt, eos bonis expectatis erigere, & amplisſimis muneribus ornare, ac complecti numquam deſinat: quibus verò aliquando aduerſa fuit, iis afflictam, & duriorem vſquequaque ſe præbeat. itaque viduam more ſuo vnico filio extincto immatura morte orbauit. Deus autem, qui omnia exæquat, & maximis, ſanctisſimiſq. officiis, quod ablatum, & uiolatum eſt, compenſat, viduam, quam fortuna afflixerat, & euerterat, ipſe ſubleuauit, & erexit. uidua repente hac vna præciſa ſpecula, quæ in miſeriis homines conſolari ſolet. quaq. uidua in ſuis miſeriis oblectabatur, dolore affecta ſuæ oblita dignitatis flebat vberius, omnes in eundem fletum adducebat, lacrymiſq. debilitata caput aperiebat, in filij corpus inuadebat, corpus & ſuum, & filij nudans faciebat, & dicebat multa, quæ propter obſcenitatem verborum prætereunda puto. interim ſacerdotes præſto ſunt, filij funus ducitur. pręferebatur more, inſtitutoq. maiorũ, vt aſſolet, ſanctisſima crux, Chriſtianorum ve-
xillum,

xillum, quod cæleſtes Dei nuncij venerantur, hoſtes timent, ac uidendo timore perterriti contremiſcut. pendebat ex ea carbaſeum velum, in quo diui Ianuarij imago expreſſa cernebatur. hac re admonita vidua rediit in memoriam illarum rerum, quas quotidie Neapoli ab Ianuario, cùm ipſa ſuis oculis viderat; tum à multis acceperat. & continuo ſeipſam colligens, ac reſipiſcens, ſic orare cœpit, atque obſecrare. Ad aures meas clementisſime Ianuari peruenit, & vidi id, quod ipſa verisſime credo, multos ſummis difficultatibus affectos, quiq. maximas calamitates acceperant, à te leuatos eſſe: nunc meipſam reſpice tui ſemper obſeruantisſimam. cauſſa, cur meas miſerias, & mala hoc tempore proferam, & commemorem, non eſt; de his tantum tecum conquerar, tu optimè omnia noſti: à Deo igitur impetra de me. ſcio equidem de uiduis, & mulieribus tuendis curam ſemper Deum attigiſſe, atque iis laborantibus ſemper ſuccurriſſe. ſaltem tu munificentisſime Ianuarij miſerere mei; intelligo te plurimũ apud Deũ valere. quod mors, & bellum mihi eripuit & ademit, tu reſtituas. hæc & alia dicens, filij cadauer linteo crucis velo inuoluit, quo adoleſcens tactus, e lecticula viuus ſurrexit, & Ianuarij ope ſe à morte reuocatum, & reuixiſſe prædicabat. reliquæ verò ſuæ vitæ tempus cum matre in Deo religioſisſimè, ſummaq. obſeruantia colendo conſum-

pſerunt: deinde uterque ſenex in cælum remigrauit.

Hæc de te ex quamplurimis & ſcriptorib⁹, & reb⁹ decerpta beatisſime Ianuari valde breuiter dicere voluimus; cum omnia non poſſemus. tu igitur potẽtisſime, mitisſimeq. Ianuari, qui nauem noſtram adhuc gubernaſti, & ſaluam in hunc portum collocaſti, fac, aura tua nobis de ceteris ſanctis ad dicendum aggredientibus, ita nunc ſlato, ut cum maxime, ac in portum, quo tua benignitate intendimus, nos inuehat, & gratias Ianuario magno magnas, Deo maximo quàm maximas, quàmplurimas. & quàmſæpisſime & habemus, & agimus.

Oratio.

Deus, qui beatum Ianuarium Pontificem, & Martyrem tuum in tribulationibus probaſti, in anguſtijs dilataſti, in perſecutionibus glorificaſti, da nobis eius meritis tenere constantiam, imitari uitam, prædicare cum lætitia eius uenerabilem paſsionem. Per dominum noſtrum, &c.

Finis vitæ diui Ianuarij ſcriptæ
à Dauide Romæo
Philoc.

VITA S. ATHANASII PONTIFICIS NEAP. DAVIDE ROMAEO AVCTORE.

David Romæus S. D. Tiberio Carrafæ Ferdinandi Nucerinorum Domini F. Pontifici Potentinorum. Philocasiuni.



VM Improuiſum, & inopinatum aliquod bonum hominibus accidit, gaudere ſane, ac omnibus repente lætiis efferri ſolent, cum autem quod ſperant, & expectant, quodq. certo fore ſciunt, euenit, vehementer lætari præſe minime ferre ſolent. quod nobis clariſſime, & optime Tiberi vſu venire, pro tua ſumma prudentia profecto intelligere potes. quare ſi cum de rebus tuis audiuimus quę ſperabamus, quæq. putabam?, maxima nos affectos eſſe lætitia, apertiſſimè non tulimus, multiſq. au

dientibus testati non sumus, ingrati in te, parum officiosi, parumq. obseruantes uideri non debemus. nihil permirum, nihil inopinatum, nihil improuisum nobis accidit. semper de te fuimus expectatione pleni: maiora semper ex spectauimus. solutum est ex parte quod iamdiu integritati, & sapientiæ, & sanctimoniæ, & religioni tuæ debebatur. reliqua propediem Deo adiuuante magna ex parte persoluta, audiemus. Tu uerò modestissime Tiberi, quamquam maiora in repub. christiana potes onera sustinere, ijs in præsenti rebus contentus esto: nam suis rebus contentum esse, maximas certissimasq. diuitias esse, optime nosti. adolescens fere hoc amplo honore decoratus, maiora procedens ætate, Dei beneficio, cõsequeris, maturè per omnes honorum gradus efferearis, in amplissimo dignitatis gradu locaberis: non enim miserrima ambitio te ad honorum studium duxit. siquidem iustissimus Rex Philippus, & sanctissimus Pius V. Pontifex max. omnibus te uirtutibus, continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei, ceteris omnibus, sacerdotio amplo, & omni honore te dignum iudicantes ultro honorẽ istum tibi detulerunt. is uere uidetur honos, qui à summis uiris datur uirtuti, & splẽdori. ad hunc si Paulo IV. tuo gentili Pont. Max. nõ ascendisti, diuinitus id accidisse, putã dum est. credebat fore prudẽtissimus Põt. nec eũ de te fefellit opinio, ut oẽs suis successores

rationem

rationẽ tui habuerint,præclare tecũ egerint,ut tua virtus,dignitas,tuorũ maiorũ amplitudo, & ſplẽdor poſtulat.quod ſi ipſe feciſſet,ſermonẽ dediſſet maleuolis,& illis,qui neſciunt,neq. integriorem eſſe aliquẽ,neq. ſanctiorẽ te in his regionibus, ut paternum ſanguinem magnam habuiſſe vim,dicerẽt. Quare lætos,uberes, & immortales,ut oportet,ſuperioris uitæ fructus capies. utinã præſens illum diẽ mihi clienti, & domeſtico tuo optatisſimũ uidere posſim.nos profecto in præſentia, ut debem⁹, gratulamur; & cum præſenti,tũ etiam ſperata dignitate lætamur.& licet his ſuperioribus diebus tibi Potentinorũ pontifici creato neq. præſentes animũ noſtrũ declarauimus,neq. per litteras gratulati ſumus:numquam tamen,quod pluris fortaſſe æſtimiandũ eſt, nos maxima lætitia affecti noſtris verbis,noſtraq. ꝑdicatione,ſummis, ueris,& diuinis laudibus te ad cælũ efferre deſtitimus, & diuino munere Potẽtinis donatũ eſſe prædicamus. cum aũt voluntatẽ, obſeruantiã, ſtudium,animũ in te meũ non ſolũ præſentib⁹ ſed ẽt abſentibus,poſteriſq.notũ eſſe cuperẽ,& teſtatũ apud omniũ animos relinquere, quid de te ſentiã,Vitã S. Athanaſii ciuis, & põtificis Neapolitani ſuperioribus diebus ex multis ſcriptorib⁹ collectã nõ impolitè,nec incultè fortaſſe à nobis ſcriptã ad te mittim⁹,& tuo nomine diuulgare uoluim⁹.quid.n.maius, meliuſue, ꝑ quod uolũtatis,& amoris ſignũ demus,tibi in-

genio ætate opib⁹, propinquis, amicis florenti afferre possemus? quàm Athanasiũ latinis litteris illustratum, latinè redditum? nihil pfectò in mentẽ veniebat, nihil occurrebat te dignum, si Athanasius præsto nobis non fuisset, maximã præsertim inter vos similitudinẽ habetis, uterque vestrum nobilissimus, Ducis, vt uocant, filius, vterque Neapolim patriam habet, ille iuris, & naturæ; tu iuris tantum, naturæ verò phi locasium nostrũ, uterque summus Theologus, Põtifex, sed de his cum ita se res habeat, hactenus. Athanasij uitam legas, eum imitaberis, & honorem tibi hunc, qui ex tua, & tuorum maiorum dignitate administrabitur à te, Deus fortunabit. nouimus animum, nouimus consiliũ tuum. tu omnia prudentia tua gubernabis, & moderaberis. nouimus qui Romæ Paulo IV. Pont. max. fueris. Vale, & id quod consueuisti, maiorem in modum à te petimus, ut me absentem diligas, tueare, & defendas. necesse est, ut sim totus uester. & esse debeam. Mense Aprili M. D. LXVI. Neapoli.

VITA S. ATHANASII PONTIFICIS NEAP. DAVIDE ROMAEO PHILOCASIO AVCTORE.



VM Multis annis regnum Neapol. uastatum, urbes calamitoso bello uexatæ fuissent, & magna clades homines presfisset: summa tandem pacis, atque otij tranquillitas regno data erat; diuisum tamen erat in partes tres: partim seruiebant Theophilo Græco, partim parebãt Ludouico Pio, partim obediebant Grimoaldo Beneuentanorum duci. Neapolitani cum sub imperium, ditionemq. Græcorum cecidissent, regebantur, & gubernabantur à Duce sic dominum, seu magistratum uocabant. circa annũ DCCCXX. Thophilus Sergiũ ducem Neapolitanũ summo studio, cunctis approbãtibus fecerat. Itaq. Sergius uir integerrimus ætate, opibus, gratia, propinquis, affinibus, amicis, ingenio honoribus, omniq. genere uirtutis florens, ex animi sui sententia uxorem habebat ex ueteri, & illustri Drusiorum familia: qua grauida, & ad pariendum uicina Sergius uouit Deo, &

ſancto Athanaſio Alex. Pontifici (uigebat tunc in ore omnium Athanaſius Pontifex Alexandr. multis tamen ſæculis ante ex hac uita migrauerat) ſi uxor marem peperiſſet, Athanaſij nomine appellaturum, & hortari, monere, atque ſuadere numquam eſſe ceſſaturum, ut ſacris initiaretur. Anno tandem DCCCXXXV. à die natali Chriſti, & IV. pontificatus Gregorij IV. Pont. max. & XX. Imperij Ludouici Pij Caroli magni filij. uxor Sergij peperit infantem filium, quem pater, ut uouerat, Athanaſium uocauit, & litteris latinis, & græcis, cum acceſſiſſet ætati paullum iam roboris, erudiit: precibus enim partim græcè, partim latinè conſcriptis ſacerdotes eo tempore Neapoli in ſacris ædibus utebantur. Athanaſius, ut primum ex pueris exceſſit, totus Ioanni Pontifici Neapol. uiro ſanctiſſimo de manu, ut aiunt, in manum à patre traditus eſt. Ioannes in Athanaſium adoleſcentulum, in quo ſingulari bonitate, modeſtia, & optima ſpe prædito inerat dignitas quædam, in fidem ſuam receptum omni humanitate, beneuolentia, caritate, atque beneficiis complexus, omnia, quæ in ſuos cõferre potuiſſet, conferebat. Athanaſius omnibus Chriſtianis myſteriis ſibi enunciatis, ordine chriſtiano ritu ſacris eſt iniciatus. tãta ſanctitas in eo ſacerdote tãdem creato elucebat, ut vbi Ioan. Antiſtes animã efflauerit, ſacerdotes, & omnes Neapolitani ſuum Pontificẽ unũ

ex cunctis ipsum iuuenem delegerint. Pontifex creatus Romam petijt, vt quod Neapoli gestũ erat, à Leone IV. Pontifice max. vel, vt alij putant, à Nicolao I. confirmaretur, & ipse ungeretur oleo, quod sanctum vocant. inde ad suos se recepit ciues, de eius reditu gratulantes, & gaudio triumphantes, quod ab ipsis actum esset, Pontificem Roman. ratum habuisse. Athanasius his rebus non mouebatur. antiquius nihil habuit, quàm, vt Ioannẽ alumnum suum, cui successerat, imitaretur. quem assecutus est, ac ita suo fungebatur officio, vt numquam vel in re leui ab eo declinauerit. Aedes sacras non solú sacris vasis, rebusq. necessarijs instruxit, sed etiam picturis, & sacerdotibus, & ministris ornauit. quæ magna impensa, magnoq. instrumẽto tuebatur. cultum diligentem, & officium tribuebat. ornauit videlicet in vico ædem, quæ Stephania dicebatur, ædẽ S. Andreæ iu vico Nido, & sanctæ Restitutæ, quæ à Constãtino Imp. Græciam petente cõstructa dicitur, & S. Stephani, & S. Ianuari extra Neapolim, & sanctæ Luciæ in Megari, & Saluatoris in insula prope Megarim, vbi nunc est arx, quod Castellum ouum appellant. In atrio sui fani, quod Episcopion uocatur, domum perhospitalẽ ædificauit, in qua peregrini pauperes hospitio acciperentur, & gratis habitarent. Viduis victum quotidianum præbebat. delubrum, eius res, & dignitatem, & homines Deo consecratos dili-

gentissi-

gentiſsime tuebatur, defendebat, & ornabat. iniurias omnes ab ijs propulſabat. templũ nudum, inane, populatum, & ſpoliatum à barbaris auxit diuitijs, cultu & miniſtris, atque adeo rebus omnibus locupletauit, vt in tota Campania nullum eſſet ſacerdotium neque ampli⁹ neque locupletius; ac omnium bonarum rerũ copia abundantius. in quos tantos ſumptus nõ ſolùm paternorum prædiorum fructus abibát, ſed etiam bona ipſa paterna magna ex parte conſumpſit, ſumptu exhauſit. egentibus hominibus, & aliena viuentibus miſericordia largè effuſeq. donabat. ipſe paruo contentus tenui victu delectabatur, omni cultu carebat, ſic ſe gerendo, quod ad abſtinentiam, & continẽtiã attinet, vt ruſtica & horrida huius vita, quæ alijs acerba videretur, illi eſſet beata, & iucundiſsima: ſolitarij, & in agro vitam agentes homines erubeſcerent profectò in hac, & ſe ab Athanaſio victos eſſe faterentur. carne non veſcebatur. vinum meracius numquã, ſed in vberiori aqua modicum ſumebat. erat enim infirma, & ęgra ſemper valetudine, cuius imbecillitatẽ hoc modo ſuſtentabat, & tuebatur. grãde plũbi pondus, vt corpus ſeruitute opprimeret, in ueſte geſtabat. in veſtimentis ſuam dignitatem ſeruabat, tunica intima, quam uocamus, erat lanea, & aſpera, hoc eſt cilicium, & ſaccus. ſeipſum nocte cœdebat virgis, & funiculis, humi iacebat, ibi quieſcebat. erat tamẽ

in cubiculo lectus, pulcherrimumq. stratum, nẽ simulationis artificio eruditus videretur. ad p̃cãdum hilari, atque prompto semper erat animo, in templo frequentissimus. multum tem poris lectionibus librorum de rebus diuinis consumebat. in omni denique re diuina erat multus. Dum tam sanctam, & innocentem vitam ageret à Nicolao I. Pontifice maximo Romam arcessitur ad sedanda, vel potius tollenda mala, quæ à Ioanne Pontifice Rauennati homine factioso impendebant. adhortabatur enim ille omnes, vt turbulenti, vt perniciosi ciues velint esse. Nicolaus videns rem ad hæresim spectare, ne plures à rep. Christiana desciscerent, aliquos Antistites virtute cognita, spectataq. fide ad se conuocauit. qua in re Athanasius ita segessit, ita se omnibus probauit, vt nihil sanctius, nihil meli⁹, nihil rectius illo fuerit. pacatis hostibus, reuertit in patriam, quam offendit magno timore perculsam, & ita perturbatum, vt omnia timeret. nam cùm Ludouicus Pius Beneuentum interea venisset, & pacem cum Beneuentanorum domino fecisset, obtrectatores, maleuoli, & inuidi odium Ludouici in Neapolitanos struxerant; vt Ludouicus non modo duriorem, & nimium inexorabilẽ in admittẽdis, & audiendis legatis à ciuitate Neapoli ad pacem deprecandam missis se prę buerit; verùm etiam periculi denunciatione illos terruerit, ferrum, & ignem Neapoli minitã-

do

do. Athanaſius videns patriam in maximũ periculum, & extremum pæne diſcrimen adductam, nec Sergium fratris filium Ducem valde ſe in ea iactare, Ludouicum, & cõiugem adijt; quibus cum ſuos ciues in gratiam reduxit. ſanctitas, uitæq. grauitas, & integritas magnam apud omnes auctoritatẽ habere, apud omnes gratioſa eſſe ſolet, à barbaris, impijs hominibus fere omnibus veneratur, & obſeruatur. affluebat quoque Athanaſius omni ſermonis lepore, ac venuſtate. itaque, confirmata pace per ſeipſum cum Ludouico, redijt in patriam. & ſi, in quam patriam veniebat, intelligeret: nã Sergius pater Athanaſio deceſſerat, & vxor ſecundum ei pepererat iam Gregoriũ nomine, qui Dux Neapolim gubernauit, & moriens Sergio filio, qui minor vocatus eſt, Duci creato Athanaſium tutorem inſtituit, ſummoq. ſtudio præcepit, vt eius aures verbis, præceptis, monitis Athanaſij patrui dies, & noctes paterent, ijs niteretur. omnia de ſententia, & auctoritate patrui faceret. maiori obſeruantia patrui, quàm patris nomen coleret. Athanaſius cũm perſpiceret fratris filium diſsimilem & patris, & aui, non iuſsis, neque præceptis, aut hortationibus, ſed precibus paternis cum illo agebat. at verba fiebant mortuo: nam Sergius nec precibus, nec admonitionibus Athanaſij cedebat; nihil niſi de ſententia ſuæ ſocrus mulieris, & ſexu, & mẽte faciebat, à patruo moneri odioſum, & moleſtum

ſeſtum erat illi,& Athanaſius,& eius conſilia vehementer diſplicebant. Ciues verbis, contumelijs, omniq. ſcelere vexabat, raptabat, omni crudelitate lacerabat, mulieribus pudicitiam eripiebat, in foro attrectabat: maiores natu,& ſacerdotes non verebatur, improbiſsimorum iuuenum conſilio,& auctoritate nitebatur. Athanaſium orantem, & aliquando liberius accuſantem,& monentem, vt infamiam fugiat, morũ mutationem faciat, contemnebat,& eius verba reijciebat à ſe,& aſpernabatur. Itaq. tandẽ & ſua ſponte, ſuaq. voluntate, & ſocrus impulſu in carcerem illum incluſit. Athanaſius nihil tamen à religionis officio nulla in re vmquam declinauit: verum tantum ſtudium bonorum in eum extitit contra incredibilem contentionem peruerſitatem,& furorem ducis, vt cuncta ciuitas, omnes ſacerdotes his rebus ita commoti ſunt, vt ad Ducem cõcurrerint, ad patriæ patrem emittendum è carcere. quod ſæpe factitatum eſt, quoad Sergius timens tumultus, & diſſenſiones ciuium, neue quid turbulenti, ſe duce, conflaretur, Athanaſiũ è cuſtodia eduxit. Ciuitas ſuo pontifici gratulabatur. Sergium ſolum hominem nequam,& improbum pœnitebat è carcere patruum emiſiſſe; & pietatem illi præſtare ſimulans, octauo poſt die amandauit illum in inſulam, vbi erat templum Seruatoris, quod Athanaſius, vt diximus, ſua pecunia refecerat,& religioſi viri incolebant; vt Atha-

naſius

nasius tota mente (sic Sergius dicebat) atque omni animo Deum intueri posśit. Multum scilicet otij Dux habebat, suæ animæ, suæq. saluti satis superq. consuluerat, aliarum cura suscipiēda erat. timebat, Deum daturum esse sibi vitio, quòd otio langueret. Athanasius primum collegit, & conclusit vasa omnia, vestes, pecuniā, supellectilem, ceteraq. templi res, suoq. annulo sigillum impresśit, & sanxit edicto, ne quis impias manus ijs admoueret: quod si quis iniussu suo contingere auderet, ei sacris, aqua, & igni interdiceretur, in impiorum, sacrilegorum, & sceleratorū hominum numero haberetur, ius suum obtinere non posset, si repeterit; nullis beneficijs, nullis honoribus particeps frueretur, ex Christianorū numero, collegioq. eijceretur. nemo illum salutaret. omnes se ab illo seiungerent. aditum, sermonem, congressumq. illius fugerent. ne illius vitio inficerentur, vel contagio ne se contaminarent. hoc vnicum est telū acerrimum, hoc vnum terribile fulmen, quod torquent tantùm, & iaciunt Pontifices, nec frustra vllum emittunt: percutiunt omnes in se contumaces, & ad luendas pœnas ad inferos demittunt. His actis Athanasius modestè paruit, insulam cum suis sacerdoribus petiuit: in cuius custodia Dux clam homines posuit, vt omnes nō modo ab Athanasij familiaritate, sed etiam cōgresśione prohiberent, nemo limen intraret. monebant tamen Athanasium, ex Ducis mandatis,

datis,vt ſacerdotio ſe abdicaret, & ſacerdotes mitteret,ſolitarius ipſe vitam cum ſuis religioſis viris in eiuſdem inſulę ſolitudine ageret,ſacerdotiũ ipſi Duci adminiſtrandũ relinqueret. Athanaſius hoc quale erat pro ſua prudẽtia cõſiderans,funditus repudiauit,nec mãdata egit. ſed cum effrenatum illius furorem,ferocitatẽ, & impiam cupiditatem comprimi non poſſe, intelligeret: reſpondit, ſi Dux pateretur, ibi cõmorabitur ipſe, dũ illius animum Deus mitigaret. quod humiliter, ac demiſſè precabatur.rurſus in poſterum quamlongiſsimè prouidens,dolebat non ſuo incommodo, & detrimento,ſed fratris filij caſum, & vicem. flebat non de iniurijs, quas æquo patiebatur animo, neque de ſupplicio, & pœna, quam indigniſſimam, & iniuſtiſsimam dabat, ſed de fratris filij morte,ruina,& malis, quæ iam illi impendere,præuidebat. nam Deus iuſtiſsimus iudex hunc ipſum Sergium minorem in eundem carcerem contrudi, & ibi mortem obire, voluit. Sergius, cum interim impetus in Athanaſium non reſederint,nec furor conſederit,videns eũ grauitatẽ ſuam perpetua conſtantia roboraſſe, & ſuis mandatis nõ ſatisfacere,armis ſe, ſuoſq. Italos,barbaroſq. milites, quos ſecum ſemper habebat, armauit, & rapinarum, & prædæ ſpe, ac promiſsis impulit,ut Athanaſium oppugnarẽt,qui clauſis ianuis reſiſtere decreuit; cumq. ſuorum timorẽ inſpectaret, hortabatur, & obſecra-

secrabat, animo vt maximo sint: si Deus, dicebat, pro nobis, quis contra nos? Sergius, quãuis facile sit uincere non repugnantes, insulam per nouem dies capere non potuit. nam interea Beneuent. Dux Athanasium à Ludouico discedente sibi commendatum obsideri, fama, & auditione accipiens, illius miserijs, & periculis commotus, Marino, qui præerat Picentinis illis, quos Amalphitanos vocãt, diligenter per litteras mandauit, vt Athanasium in libertatem vindicatum ad se Beneuentum perduceret. Marinus hominum multitudinem statim coegit, manum fecit, Neapolim petijt, Athanasium à Duce liberatum, ad eius germanum Stephanum Antistitem Surrentum comitatus perduxit. Sergius restiterat, seq. defenderat, sed suorum multis occisis, in fugam tandem se contulit. post hæc mittit satellites suos, qui teplũ diriperent, hi sacratarum sanctionum timore sacrilegas fano manus afferre, illudq. de peculari ausi non sunt: sacerdotes tamen aliquos Athanasij partium parum piè, immo iniuriosius tractabant. Hæc vbi Romæ cognita sunt, vehementer Hadrianum Pontificem max: pupugerunt, itaq. legatos ad Neapolitanos misit, qui suis verbis denunciarẽt, vt Athanasium acciperent, in pristinum statum, pristinamq. dignitatem, & in integrum omnino restituerent. Neapolitani suo duci gratificaturi hæc sæpe spreuerunt. sacerdotes etiam respuentes inter-
dictum

dictum Pontificis Romani res diuinas facibāt in templis,quibus eos prohibuerat. postremo cunctam ciuitatem Neapolim sceleris idē Pontifex Rom:condemnauit,voluitq. nihil diuini, humaniq.iuris,nihil commune huic cum Christianis esse; quod ipsius Pontificis max.auctoritatem sacrosanctam contempsisset. Sergius furijs agitatus, Dei immemor, humanitatis oblitus putauit, Athanasij morte omnia hæc se dari, & extingui posse:homines misit,qui eum veneno necarent.nesciebat homo amēs,iustorum hominum vitam esse in manu Dei, nec illos,si venenum biberint,offendi,nec aliquo incommodo affici: itaque nihil mali,nihil periculi Athanasio intulit: nullum detrimentum hac in re sanctus vir accepit:fessus tamē pro patria, qui suus in oēs amor erat, plorando,dicebat, si ipse,& Pōtif. max.ex hac vita discesserint,quid de infelici patria fiet? quis pro eius salute Deū orabit? quis in veterem Dei gratiam restituet? quare grauissimas iniurias, quas & à fratris filio,& à suis ciuib⁹ acceperat,vltro oblit⁹ doloris memoriā deposuit,& præuidēs,ꝙ ipse, atq; Hadrian⁹ ex hac vita breui demigraturi essēt, Surrento Romā ad Pont.max. naui aductus,& hilare,& bene ab eo accept⁹,impetrauit,vt Neapolitanis ignosceret,sceleris pœnas nullas peteret,& Christianorū beneficijs oīb⁹,atq; honorib⁹ participes fruerētur.Remigrabat Athan.ī domū suā cū Lādulpho Cāpano Pōt. ab Hadriano

 ad Nea-

ad Neapolitanos legato miſſo. cumq.veniſset ad villam Verulam III. Kalend. Quinctil. qui dies ſanctorum Petri, & Pauli feſtus ſollemnis celebratur,manę res diuinas fecit, deinde ibi continuo in morbum incidit,ex quo non cōualuit: nam in cellam ſancti Quiricij vltra Caſsinum xij. millia paſſuum vectus. In Græcia regnante Baſilio Macedone, Rom. verò Carolo Caluo II.Pontifice Romano Hadrinno II. anno poſt natum Chriſtum DCCCLXXVI Idib. Quinctil.cùm primum & quadrageſimum annum ageret,hinc demigrauit in cælum.Inde illius corpus ad Caſsinum vexerunt, vbi ſancti Benedicti ſocij pij,& religioſi viri habitant,qui mirabiliter illud accipientes, intra ſancti Petri ædem ſepelierunt, donec Neapolitani in patriam reportarent.

¶Erat in illo collegio S. Benedicti homo quidam cæcus,infimus,bonus alioqui.frequēs præterea eſſe in templo conſueuerat. is dum more ſuo templum oraturus eſſet ingreſſus,ut cæcis euenire ſolet,ſeu Deo ſic volente, offendit, & lapſus incurrit in Sancti Athanaſij ſepulcrū, cadenſq.illud attigit;quo tactò,acerrimū oculorum ſenſum e ueſtigio aſſecutus,amplius eo non caruit O fortunatum, felicemq. caſum, o ſummam ſanctorum benignitatem. o numē, auxiliumq.præſens.ſancti indigētibus, nec opinantibus præſto ſunt, & maiorem, quàm quis exſpectat,& petere audeat,opē, ſalutēq.ferunt.

¶Ser-

¶ Sergius Dux, patruum viuendi curriculum à natura datum confecisse, immortaliter gauisus, apertisimè ferebat lętitiam. vtq suus frater Athanasius nomine succederet Athanasio patruo, curauit. Hic non tamen feros, vitiosos, & perditos Sergij fratris mores, sed suauisimos, & optimos, sanctisimamq. disciplinam patrui Athanasij imitari decreuit: uiuente tamen fratre, multa & simulabat inuitus, & silentio dissimulabat cum dolore, vt ad propositum sibi finem perueniret. paucis post diebus, quàm Sergius frater in carcere à vita recesserat ut supra diximus, cùm nemini se mancipatũ esse intelligeret, Athanasius Athanasij patrui vitam exprimebat, quincto anno S. Athanasij patrui corpus ad se referri voluit, legatos ad collegium S. Benedicti de hac re misit. Magister societatis, Abbatem vocant, omnesq. socij denegarunt id Neapolitanis. quis bonum hoc tãtum à se reijceret, & vsquam malit esse, quàm apud se? tandem aliquando coactu propè dicam, & efflagitatu Neapolitanorum, se id facturos dixerũt, & dimidia ex parte S. Athanasij corpus ciuibus donaturos. neutiquã id erit, responderunt Neapolitani: integrũ accepistis, integrũ reddite. mortuus in domũ suã inferatur si viuus patria, & sede sua caruit, redeat saltem mortuus, & illam recipiat. cui viuo iniuriã fecimus, mortuo honorem facere decreuimus. exigimus quód vobis creditũ est. reddite depositũ: nisi iniqui

esse vultis;suum cuique tribuite.ad extremum, ambo experiri voluerũt,an Deus,Athanasiusq. hoc probarent,quorum voluntati ad assentien dũ separabant.sciebant enim,multos sanctorũ corpora loco mouere non potuisse,ex volunta te,inquiũt,Dei hoc accidat,hæc nobis suscipiẽ da est. itaque postridie aggredi decreuerant, cum media nocte S. Athanasius suos ciues dor mientes excitare visus est,ac monere, ut abie-cta omni cunctatione,sine vlla mora, quod fa-ciendum erat,facerent;nec diutius rem differ-rent;impedimentum non expectandum esse, cum aliquid impedimẽti, & moræ inferri pos set.ij, suis, & Benedictinis excitatis, sublatoq. beati Athanasij corpore in viam se dederunt. visum est eius corpus integrum,nulla ex parte violatum,vel deformatum, nitor naturalis, ut dormientis.pilus nullus deciderat. e vestimen tis nec vetustate confectis, nec consumptis o-dor suauis, & iucundus efflabatur, non secus ac si unguentis essent oblita.iamq.aliquantulũ viæ processerant, occurritq. eis homo ab ho-minum aduersario exagitatus,& lectica vix ta-cta de impij omnium hostis manibus ereptus est.peruenerunt tandẽ Neapolim, & in maiori fano S. Ianuario dedicatum; quod Archiepi-scopatum vocant, corpus beati Athanasij pro-pe tumulum Ioannis eius alumni humauerũt. Kalend.Sextil.

¶ ciuitas cuncta frequens ad hoc spectaculũ conue-

conuenerat. venit & vidua quędam, quæ diuturnii morbi grauitate audiendi sensum amiserat; S. Athanasio eo tempore commendat se, & salutem continuo accepit. item Claudus sanatus est. lituum ipsius Athanasi, quem bacillum pastoritium, vel pastoralem vocant ligneum in sollemni die, atq; festo, qui Idib. Quinctil. sancti Athanasij nomine agitur, licet videre. cingulus, seu pellis illa, qua cingebatur, super infirmorum capita impositus, morbos omnes depellabat. De multis alijs miraculis, reb9 nouis, & inusitatis, deq. lampade, quæ ardebat totos dies, ac noctes ante ipsi9 tumulum, numquã in eam infuso oleo, ut de rebus notis, ac apud omnes peruulgatis verbum nullum esse faciendũ, arbitramur.

Oratio.

Deus, qui perennem gloriam sanctissimi Confeßoris tui, atque Pontificis Athanasii animæ contulisti, tribue quæsumus, eius nos apud te ita patrociniis subleuari, ut cum eo uitam poßideamus æternam. Per dominum.

Finis Vitæ S. Athanasii à D. Romæo scriptæ.

DAVIDIS. ROMAEI PHILOCASII

S. ASPREMVS. PRIMVS PONTIFEX. NEAP.

ET

Sancta. Candida. Maior





SPREMI, & Candidæ Maioris vitam vno sermone, vno capite, vnoq. orationis filo conscribere, ac complecti decreuimus, ne sæpius idem dicendum, atque repetendũ nobis esset: cùm vno eodemq; die audientes Petrum discipulum, & legatum Christi, religione Christiana imbuti, vnà hostias immolarint, vnà familiariter & sanctè vixerint, & in eadem vrbe vterque hinc demigrauerit in cælũ m: rē verò totam ita se habere legimus. Petrus Christi discipulorum dux, atque princeps, rep. Christiana præclare fundata, feliciterq. gesta, septimo sui pontificatus anno Antiochia Romam veniens, remp. sacerdotium perpetuum, & animarum

marum imperium à Christo sibi datum, ibi fun daturus; vt, quæ ciuitas olim in hominum corpora, in posteritatem in animas imperium, & auctoritatem teneret, huic imperio se subijcerent, Petri successoribus parerent, & dicto audientes forent. Cumq. Neapoli lāgueret de via, quiescebat, ad portam exspectans, quod suo cō prehenderat animo, mulierem, inquam, senectute prope confectam in vrbem Neapolim ingressuram, à qua perspecta, Candida vocabatur, ferę de omni rep. eruditur; qua religione ciuitas esset obstricta: nū si quis, quæ vera, puraq. religio esset, & Dei immortalis volūtas, interp̄taret idq. vel exquisitis rationibus, vel miraculis, rebusq. nouis & inusitatis confirmauerit, ac persuaserit, contraria vero refutauerit, ciuitas creditura esset? & puram illā nouam religionē, & cultum Dei esset susceptura? tum docet Cādidam, primos homines marem, & feminam summa innocentia, & integritate sine illo natiuo malo, & errore, quem cū lacte nutricis, vel potius antequam nascimur, sugimus, in hortis satis amœnis à Deo esse creatos, quorum vitā nullis finibus terminaretur, corpora nūquam interirent, nec periculis, aut sub metu subiecta essent, modo ut diuinam, & sanctam uiuendi legem à Deo sibi datam obseruassent: verum cùm eam fallacibus, & captiosis interrogationib⁹ immanissimi, teterrimiq. oīum hostis circunscripti, & decepti neglexerūt, ipsi, filij, nepo

tes.ac oẽs posteri sceleris pœna tenebantur,& iu durissimã seruitutẽ seipsos,& oẽs suos posteros Orco addixerunt:& ex illis hortis protinus expulsi,eiecti,& exterminati sunt,miserrimã,& acerbissimã vitã victuri, morte sibi proposita, cũ verò corpora interierint,acerbissimas,& sẽpiternas ipsi sceleris pœnas in ergastulis platuri essent. Deum verò misericordia permotũ è cælo descendisse,& cõuulsis repagulis,& effractis valuis,suos familiares,qui in cõpedib⁹ corporis,& animæ erant,soluisse,ex insidijs,& pœnis,& à morte erupuisse:viuis vero,vt natiuum malũ sanari,sordes elui possent, remisisse, atq; cõcessisse,& viã stratã, & à se nobis munitã in cælũ mõstrasse.deinde Candidæ exponit Christi vitã,sermones,præcepta,res gestas, necẽ reditũ ad vitã,ad cælũ ascensum,resq.nouas & inusitatas, quæ oĩa suis oculis viderat, religionẽ Christianã interpretatur:tũ Candida respõdit, si quẽ summis laudibus ornat,implorãdo,magnos sibi corporis dolores eriperet,aut minueret saltẽ,se animũ inductură,vt ei prædicãti facile crederet,illius cõsilijs pareret,& religionẽ susciperet.Petrus inuocato Christi nomine,imperat diuturno, grauiq. morbo,quo affligebatvetula,illico ab ea discederet,vestigiũ sui nullũ, imaginẽ nullã relinqueret;tribueret honorẽ Iesu Christo,qui omni iure cum suo patre, diuinoq. spiritu à rerum omnium initio vsque ad sempiternas sæculorum ætates regnat : tum

Chri-

christiani Petrum Antiochia prosequentes responderunt uerbo illo vsitato, ac trito in rebus diuinis, Amen : quod nequidquã aliud est, si interpretari velis, quã. Fiat. his dictis, malum illud subito in nihilũ occidit, interiit, ac sublatũ est. omnia mulieris ex luctu ad lætitiam reciderũt, cum salutẽ à Petro acceperit, & nullo sibi dato medicamẽto sana facta sit, admiratur quod illico sic cõualuerit, & Petro credidit, & aqua cõsecrata, quod batizare dicitur, lauta ẽ. gaudeat regnũ hoc Neap. se christianã religionẽ suscepisse, ac in animis suis priusquã in ulli⁹ regionis Italiæ Dei notionem informatã esse. auctores, & magistros publicæ religionis discipulos legatosq. Christi Bruttij Paulũ, Campani Petrum habere. Candida (cũ ea sit uis, & effectus religionis, caritatisq. christianæ, ut, qđ sibi, id alteri uelit) dixit esse sibi hominẽ amicissimum, & per necessarium Aspremum nomine, innocentem, benignum, modestum, sobrium humanum, pium, & religionum colentem, si quomodocunque res se habet, religio illa dici poterat, qui nemini iniuriam facere consueuerit: quòd, cum uires & corpus periculosi, grauissimiq. morbi, longinquitate laborãs, amiserit, si ex morbo illo euaderet, eius ualetudo, ut sua ipsius Candidæ, à ueteri morbo erit cõfirmata, fore, ut susciperet sacram, de qua concionabatur Petrus religionem; & uindex, defensor, & propugnator esset. meritam;

quo

quoad facere posset. Deo immortali gratiam iustis honoribus, & mente memori persolueret. itaque Candida admonita à Petro, vt perageret, properaret, Aspremum conueniret, manu prehenderet, bene sperare, bonoq. animo esse, iuberet; Petrum discipulum, legatum, & administratorem Iesu Christi Hierosolymis suorum iniquitate, inuidia, & iniuria in crucem acti uelle, uti ad se Aspremus ipse veniret. vix sermonē Petri illa retulerat Aspremus satis firmo corpore esse cœpit, & omni morbo leuatus, Petri mandata persequi cupiens, & omni festinatione properans, tunica uestiri oblitus est; & pallio tantum amictus e lectulo surrexit, atque abiit. cum ad Petrum adiisset, ad eius pedes se abiicere volens, à Petro erectus est, quid faceret, definitum est. Interea confluxerant ad Petrum plures, quibus rei nouitas, qua omnes delectari solent, cupiditatem iniecerat uidendi hominis à quo repente Aspremum esse sanatum, cognoscebant; & ideo, Deū aliquem è cælo delapsum, credentes, comites se Aspremo præbuerant. Petrus hos omnes vna cū Aspremo ad Christi instituta doctos, & ad omne Christiani officij munus instructos aqua salutari expiat, atque in Christiani cuiusdam viri domicilio non longe a Porta, quæ hodiè Nolana vocatur, constructo altari, ministrante Apsremo, Deo quamsæpissime immolauit; raptim ad Petrum conueniebāt, in eius senten-

tiam

tiam multis partibus plures ibant, nomina in Christianorum numerum dabant. Petrus relicto Aspremo Pontifice Neap. à se facto, breui tempore post Romam profectus est. Ara illa vetus ad hæc tempora summa populi religione stat in primo aditu, vestibuloq. tẽpli, quod ex eo vocatur S. Petri ad Aram. ubi in præsentia habitant, & res diuinas faciunt Socij S. Augustini, qui Canonici Regulares dicuntur.

Candida quæ a Petro didicerat tenens in eadem sententia perstabat, cum Aspremo, ceterisq. christianis coniunctissimè, & christianè viuendo, senio confecta migrauit in cælum Prid. Non. Septemb. & in eodem templo sancti Petri humata esse dicitur.

Aspremus quotidie Neapoli cum christianis, quos docebat, tuebatur, defendebat, nec ruere sinebat, res diuinas faciebat, & eundem viuendi cursum, quem à Petro acceperat, tenuit, quoad Deo acceptus, decrepitus senex ab illo ad vitam sempiternam vocatus in cælum ascendit III. Non. Sextil. anno Christi LXXIX.

Fuit Neapoli post mortem S. Aspremi uir quidam diues, & pecunia princeps suæ ciuitatis, sine filiis, qui cum multis lacrymis orasset, atque obsecrasset Aspremũ, impetrauissetque, ut liberos ex vxore procrearet, gratias Aspremo pro tanto eius merito retulit; nam fanum, quod Græco nomine uocabatur, Aspremo fecit. Romæ uiro cuidam multum temporis

temporis grauiter ex capite laboranti, multis medicis frustra adhibitis, null⁹ vmquam medicinam aliquam facere potuit; tandem res nouæ; & inusitatæ S. Apremi, quas Neapoli fieri uiderat, diuinitus in mentem uenerunt, cui se commendauit, & animo ualuit, ac sine corporis dolore fuit; venit Neapolim, gratias Deo, & S. Aspremo retulit. Duo Sergij Neapolitanus alter, Picentinus alter item fecerunt, qui ex intestinis laborantes, sanati sunt.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti confessoris tui, atque Pontificis Aspremi festiuitate lætificas, præsta quæsumus, ut cuius sollemnia colimus, eius præsidio muniamur. Per dominum.

SANCTVS. SEVERVS

PONTIFEX NEAPOLIT.



EVERVS Pont. Neap. vtrum regnante Diocletiano, an Cõ ſtantino magno, quoue genere natus fuerit, non ſatis inter auctores, quos ſequimur, conſtat: nos autem eius vitam conſcripturi, quod verisſimum quiſque ſcribere uiſus eſt, excerpſimus: Seuerum, inter omnes conſtat, ortu, & ciuitate Neapolitanũ fuiſſe, ſummo ſplendore, ſummaq. auctoritate præditum: nec nos præterit, non nullos vulgo loqui, Seuerum gentis fuiſſe Carmignanæ Montagna: ſed neque argumentis, neque rationibus confirmant quod ſuperſtitioſe, aniliter, nullaque auctoritate dicunt. Seuerus dum ſacerdos ĩ officio Chriſtiano vſquequaq; eſſet, & oĩa ſacerdotis officia, & munera exequeret, & integerrime, atq. ſanctisſime uiueret, mortuo Pontifice Neapolitanorũ, ab omnibus Pontifex ipſe legitur. quo in munere ita ſe probabat omnibus, ita ſe tractabat, ut eius domus maxima quotidie frequentia ciuium frequentaretur

taretur, essetq. prope dicam, totius ciuitatis oraculum. ubi omnia uirtute, non casu gerebantur. Seueri dignitas, prudentia, sanctitas, qua se tuebatur, quasi lumē aliquod elucebat. quibus rebus summum gradum & dignitatis, & gratiæ tenebat in patria: more denique Ianuarij uiuebat, eius æmulus, atque imitator erat. frequens stabat in spelunca extra urbem Neap. solitariam agendo uitam. quo in loco posterius vt dicemus, templum ipse construxit.

Erat ei vicinitas, sanctusq. usus cū uiro quodam paupere, bono, & innocente, qui cùm eo tempore iuisset ad balneas, ouum, quod pro lauationis mercede balneatori erat, ferre oblitus, ut primum domum se referret, missurum promisit. quod iterum pauperi excidit; sanctusq. balneator ī foro obuius magna uoce inquit, amice promissa non seruasti. redde quod debes. obligat fidem suam pauper, se redditurum esse. tertio effluxit. interea incidit in morbum, cuius ui, anteaquam solueret quod debebat, consumptus est, quo audito baneatot cō festim pauperis mortui uxorem, & filios in ius uocat, talentum, affirmat, sibi à mortuo deberi, adiurat, productus est testis leuis, à religione alienus, mercenarius, & precio corruptus, qui diceret, talentum balneatori à mortuo deberi: præstoq. fuerunt, qui voces auditas in foro referrent. qui ius Neapoli dicebat, contra

tra uiduam,& filios teſtibus conuictos iudicat, ut triduo,aut ad ſummum quatriduo balneatori ſatisfacerẽt: ſecus debitoris mortui uxorẽ & filios nexu creditori traderet,qui eos in ſua poteſtate, ac ditione tenebit. mulier poſteaquam id reſciit, exalbuit, animo concidit, diẽ & noctem in mœrore,lacrymis,& ſordibus iacuit, nec mœſtitiæ reſiſtere poterat, uirum ſuum,ſciens, in hoc magnum æs alienum incidere non potuiſſe; nec ipſa ſoluendo erat: nulla enim hereditas à mortuo peruenerat ſibi,liberiſq. ſuis: nihil ab illo relictum habebant.ad quem confugere neſciebat, niſi ad eum Seuerum, vnde omnes opem petere ſolebant. itaq; adiit Seuerum ueterem mariti amicum,vicinũ ſuum, cui ad pedes miſera iacens ,ut clemens pater ferret opem, miſerorum ſaluti ſuccurreret, qui ad ipſum confugiebãt, & diuinam opẽ ab illo petebant.tantum ſe ad uiuendum ſpei habere, quantum ab ipſo acceperint. rem tandem, quæq. tantarum eſſet anguſtiarum cauſſa,expoſuit. Seuerus qui mortuum optime nouerat; nam licet ille in egeſtate uitam degiſſet, fuerat tamen bonus plane uir, & paupertatis patientia ornatus, uiduæ benignisſimè reſpondit, hortatuſq. eſt eam,ut, cum ipſe argentum illud non haberet, Deo ſe commendaret,auxilium, & miſericordiam imploraret, & poſtridie ſeipſam fore uiſuram quid Deus faciet.continuo magiſtratus, populuſq. Neapolitanus

eſt

est in crastinum conuocatus in templum (supplicatio Deo decreta esse dicebatur) quò frequentes conuenerunt omnes,& ad speluncam extra urbem,vbi pauper sepultus erat,commearunt. mortuos eo tempore in vrbe sepeliri, nefas erat. Seuerus aperto sepulcro, iubet mortuum surgere per Iesum Christum Dei filium, qui Lazarum ab inferis excitauit, & aperte, palam omnibus audientibus clarissima uoce diceret, quantum balneatori deberet, quæ res vxorem,& filios in summas angustias adduxit, perdit, & affligit. res miranda accidit, mortuus de sepulcro surgens, testor,inquit, Deum, in cuius cospectu sancte uir stas, nihil me debere isti fucosa olim amicitia mihi coniũcto, præterquam ouum unum pro lauatione. balneator, qui præsens ibi cum alijs aderat, & ridebat, sceleris sui, & fraudis conscientia oppressus reticuit, & quid responderet, nescijt. populus, qui uiduam afflictam, iacentem, & lapides fiere cogentem uiderat, nunc audiens hæc, atque oculis cernens,balneatorem lapidibus appetiisset,& obruisset,ni Seuerus ab omni periculo,& iniuria illum prohibuisset, hæc dicens, nõ esse præcepta uiuẽdi, quæ Iesus Christus suis tradidit.malum pro malo non esse referendũ, sed tollendũ,ac bono superandũ.Nec efflagitans misericordiã captabit qui in alios se misericordem esse nolit. nec sibi ignoscetur, qui alij veniam daturum negat.his, atque aliis

aliis eiusmodi verbis populum compresſit, tum mortuo inquit,utrũ à mortuis excitari cuperet, an non? mortus,commenda reſpondit, potius meipſum Deo,& illum pro me deprecare. hoc ab eo pete, & rogando impetrato, ut in beatorum cœtu, ac numero me reponeret. hæc cum dixiſſet,conticuit:deinde cum ſe collegiſſet, mortuus concidit, populus, his viſis, omnes Seuerum diligentius obſeruare,uenerari, & colere perſeuerarunt, qui de curſu, de uera,& certa ſententia dimoueri his non potuit. immo ab omni cura ſe abduxit, Deum ſe totum maiore cura, totoq. animo dedidit, & omnia, quæ ad ipſum pertinere intelligebat ſtudioſius, & diligentius curabat, & pertractabat,omnem operam rebus diuinis dabat.quattuor templa extruxit,vnum, quòd abeſt à Neapoli mille paſſus, & dedicauit S. Ianuario, & eius corpus in illud intulit, alterum S. Potiti intra muros, vbi hoc tempore ſunt religioſæ virgines ſocietatis ſancti Benedicti, tertium, ubi nunc eſt ſancti Martini, quartum extra urbem, quod poſtea ſancti Seueri uocatum eſt, prope templum ſancti Fortunati:hæc duo exciſa, & euerſa eſſe credo.

Iam multum ętatis ſeuerisſime exactæ Seuero acceſſerat, cnm in morbum incidit, medicis eius curandi ſpem abiicientibus, grauisſimè ęgrotans, propinquam ſibi ipſe mortem, & ſupremum ſuæ uitæ diem inſtare denun-

ciat. tempus illud tridui, quod in hac uita erat moraturus, in magno officio, & necessario sibi ponendum putauit. licet vsquequaque id fecisset, nec aliud vmquam curasset. sacro sanctum Christi corpus cepit, oleo sancto à sacerdotibus perunctus est: & ne pars hæc uitæ officio vacaret, conuocatis sacerdotibus, & ministris templi documenta maxima, præceptaq. viuendi ea dabat, quæ si tenerentur, ad sanctimoniam summam ferrent. cum autem animá efflaret, se Ianuarium, & Agrippinum videre fatebatur; tum ad extremum memoriter dulci voce pronunciauit psalmos illos, quos vocãt. Leuaui oculos. Vnde uenit auxilium mihi: item, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cæl. &c. & hora fera quarta noctis maximo terræmotu cubiculo conquassato, Seuerus ex hac cessit uita III. Kalend. Mai. cum præfuisset ei sacerdotio sacris, & muneri annos XLVI. mens. II. D. XI. Pontifice max. Damaso, qui anno post natum Christum CCCLXVIII. ad amplissimũ sacerdotium electus erat. Valentino Panon. regnãte. ei9 corpus in templo, quod ipsi postea dedicatum est, ab ipso Seuero in spelunca extra vrbem, ut supra diximus, constructo, humanatum est, nunc intra urbem in templo S. Georgij sub grandiorem aram sepultũ auguste, sanctèq. ueneratur. Complures diuersis morbis, grauibusq. periculis affecti, ad S. Seueri sepulcrum accedentes, quod frequens factum est,
ad

ad ſalutem reducti ſunt. Vrſus S. Seueri fratris filius ſacerdos, cum in viuendo patruum ſequeretur, ex omni populo, omnium iudicio Neapolit. Pont. delectus eſt. Hæc pluribus uerbis dicere potuiſſemus, ſed cum breuiter, & ſummatim omnia deſcribentes, tum quid in vnaquaque re verum, & ſincerum ſit perſpicientes, multa tacita præterire uoluimus.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die beatiſſimum Seuerum confeſſorem tuum, atque Pontificem æthera regna penetrare fecisti; da quæſumus ſupplicibus tuis digne illius ſollemnia celebrare, ut per eius uenerandam feſtiuitatem gloriam conſequamur, & pacem. Per Chriſt.

In ſecundis Veſperis.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui cunctæ famulantur elementa, intercedente beato Seuero confeſſore tuo, atque Pontifice, exaudi propitius orationem noſtram, & tribue quæſumus miſericordiam tuam, & quæcunque præcipis, ut, ut agamus, ipſe adiuua, ut adimplere poſſiumus. Per dominum noſtrum.

AVCTOR S. D. CHRISTIANO LECTORI.




Ntequam de ſanctis Agrippino, & Euphebio ad dicendum aggrediamur, te Christiane lector de hac re commonendum putauimus; ſi accuratè, ac diligentiſſimè omnia noſtro more nõ perſcripſerimus: quæſo, amabo te, ut ne id aſſignes noſtræ imprudentiæ; uel negligentiæ tibi nomine ſuſpecti ſimus. id totum aſſignabis temperi. noſtris maioribus attribues. nos ita Deus ſua benignitate ſuggerat quæ ad ſuorum res ſcribẽdas nobis deſunt, extra omnem culpam, & cauſſam nos ipſos ponimus; explorata tantum perſcribimus, cum nec interfuerimus, nec præſentes viderimus quæ ſcribimus, uel potius ab aliis fere deſcribimus. quod dant, accipimus: cum, omnibus ſcriptoribus, qui de hac re ſcripſerũt, in vnũ locum coactis, quod quiſq. uerisſimum dicere viſus eſt, excerpſim⁹; hiſtoriæ nihil addidimus, nihil de noſtro attulimus, nolumus .n. & Deũ, & ſanctos, & rẽp. chriſtianã meç temeritatis, atq. mẽdacij conſcios eſſe. illuſtrauim⁹ tantum, & patefecimus ueritatẽ, id quod multo ſudore, multoq. labore fecimus. itaque tu veniã interim neceſſitati dabis, fortaſſe res occultisſimæ in lucem aliquando, Deo adiuuante, ꝓferentur. Hoc uolebã, neſcius ne eſſes. Vale.

DAVI-

DAVIDIS ROMAEI

S. AGRIPPINVS PONTIFEX NEAPOLIT.



GRIPPINVS ciuis Neapolitanus fuit, & antiquior Seuero, quantum ex huius rebus conii cere, atque expiſcari potuim⁹: non enim ætatum, aut temporum ordinem ſequimur, &, ut quiſque ſanctorum cuſtodum, ac præſidum Neapolis ętate antecesſit, ita ex ordine conſcriptus eſt; ſed hoc perturbato, eundem in iis conſcribendis tenuimus, qui in honorandis, ferendiſq. per vrbem Neapolim ſeruari ſolet: hunc ſecutus eſt etiam qui illorum vitam ante conſcripſit. qui Agrippinus, quiete, ſanctisſimè, & ſecum viuẽdo, ſuis moribus ciuium beneuolentiam, gratiam dignitatem, atque eam famam collegit, ut mortuo Neapolit. Pontifice, ſine repulſa ipſe Pontifex factus fuerit, ceterorum ſacerdotũ, & populi iudicio in hoc gradu collocatus, ſanctisſime ſe gerebat, Chriſti diſcipulorum morem uiuendi reuocando, retinuit. eius conſilia ſequens, à dignitate, neque digitum diſcedebat, conſtantiæ, moderationis, temperãtiæ, lenitatis, & miſericordiæ partes, quas ille docuit, libenter ſemper agebat. omnes

consolando, consilio, re ad beatam vitam adiuuabat. bonorum suorum partione inter mędicos facta, ipse pauper factus est, hominum caussa, ut aliis prodesset, se generatum esse dicebat, illud in ore semper habebat. Ad bene agendum nati sumus. in hac exercitatione uersatus, nec vnqmam ab ea abstrahi passus curam, operam, laborem, tempus, ætatem denique senex consumpsit V. Id. Nouemb. eius corpus consti tutum veneratur in eius æde ab ipso, ubi erat sua domus, ut nonnulli putant, condita, deinde à piis hominibus refecta, magnitudine, rebusq. omnibus ampliore facta: multa enim ibi miracula visa, resq. nouæ, & inusitatæ factæ sunt; nec omnes scripsit, quisquis fuit ille, qui barbarè, satisq. verbose litteris hæc mandauit: complura enim de illis se præteriisse asseuerat: tantum scripsit, quantum sacerdotes in die festo S. Agrippini essent lecturi; potuisset tamen plura paucioribus verbis. nos leuiter, strictim, & quambreuissime perstringentes, aliqua attingemus, non sigillatim vnamquamq. rem, nec permulta e quamplurimis, quę interiecto longo temporis interuallo visa sunt, collegimus.

Gaudiosus quidam Abellinas syderati, & Maurus paralysi morbo laborantes. Miles semiuiuus Miseno Neapolim deuectus, totius corporis doloribus oppressus. Lucius cæcus: Puerulus quidam graui morbo æger, & animam

agens

agens. quidam vtroque pede grauiter claudicans, quiq. nec insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione poterat: Paulus Neapolitanus ex superiori loco præcipitatus crus, & femur fregerat: Passera Neapolitana, quæ aurium sensu egebat, nec stare poterat, quin caderet: ij inquam, omnes uecti ad sepulcrum S. Agippini meliores valetudine facti, ad salutem reducti sunt.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es omnium sanctorum tuorũ splendor mirabilis, quiq. hunc diem beati Agrippini confessoris tui, atque pontificis natalitio consecrasti, da Ecclesiæ suæ de tantis gaudere triumphis, ut apud misericordiam tuam exemplis eius, & meritis adiuuemur. Per dominum.

S. EVPHEBIVS PONTIFEX NEAPOLIT.



VPHEBIVS, vel Euphrimus; si ut vulgus, ita nos hoc loquemur loco; fuit Neapolitanus, & optimis ſtudiis, grauitati, & religioni à pueritia deditus, bonitate naturæ, felicitate quadam, parentum diſciplino, & librorum de rebus diuinis lectione rectam vitæ ſemper ſecutus eſt viam. ſacerdos factus vitam ſolitariam valde amabat, ſecum erat ſemper, in hominum conſpectu, ſuis negociis omnibus depoſitis, eſſe nolebat. offenſionem, dicens, crebro ex oculis hominem habere, illorum ſæpe cauſſa peccare, difficile eſſe mentis aciem ab illorum abducere conſuetudine. Quare ſibi ædiculam ædificauit, quæ mille paſſus fere ab urbe Neapoli abeſt. in ea habitabat, non ſæpe in urbe erat, nec ciuibus in conſpectum ſe dabat, præterquam cum res hoc poſtularet, uel religionis negocium, vel amicorum ageret. Deum eius opera, & res cognitione dignas contemplari ſolebat. ocioſus numquam fuit. iis rebus allecti ſunt Neapolitani ad Euphebium tergiuerſantem, & repugnantem ſibi pontificem adoptandum. in hoc

in hoc dignitatis gradu locatus nihil in peiorē partē mutauit, à seipso numquam discessit, senex tandem cum nulla vtilitate, nullaue re ad facinus, ad aliquod maleficium cōmittendū, vel ad fraudem, vel ad iniuriam, vel ad rē turpem faciendam impelli potuerit. modestus tādem, & frugi, morbo mortifero urgente, lætus, ac perlubens mortem obijt X. Kalend Iun. cū sacris anniuersarijs apud Neapolitanos colitur. anno Christi   Eius corpus in eadem ædicula extra vrbem Neapolim ab eo ædificata sepultum est sub aram cum sanctis Fortunato, & Maximo, nunc ipsi S. Euphebio dedicata: ubi multa miracula edita legimus, & præsertim. Aduena quidam naufragus naui in mari euersa, omnibus rebus vacu⁹, & nudus diuertit Neapolim ad hospitem suum, hominem iustum, pium, & S. Euphebij studiosissimum, & obseruantissimum omnium, qui quotidie eius sepulcrum piè inuisebat. apud hunc naufragus ille lapsus restitit, defatigatus seipsum refecit: deinde domum redire cupiens, sumptus ad iter reliquum conficiendum, vnde suppeditarentur necessarij, non habens, petijt à Neapolitano hospite, vt mutuam sibi daret. libētissimo aīo se hoc factur ū respōdit, prę de sibi dato, quē cū naufragū dare nō posse, videret, & se in eo gñre aduenę cōmodare vellet; eū ante S. Euphebij sepulcrū fidē suā obligare coegit, dicens, se Euphebium prædem accipere, Euphebium

suam

ſuam exactūrum pecuniam, & curaturum, ut aduena ſibi ſolueret. aduena, ſumpta pecunia mutua, abijt, ſuam reuertit domum, cum cre ditore male egit, quod affirmatè, teſtibus Deo, & Euphebio, promiſerat, non tenuit, pecuniam creditori non ſoluit, nec amplius curauit, immo iuſiurandum negligens, creditorem, & prę dem ridebat. creditor longo interuallo eluſus, & vxoris cohortationibus in debitorem incita tus, ante ſancti Euphebij ſepulcrum de hoſpite ſuo querebatur, in Euphebium propedicam in uehebatur, & culpam omnem transferebat. Euphebius nocte debitori apparuit, eum peieraſſe, increpat, fidē & Deo, & creditori, & hoſpiti datam fregiſſe, ac uiolaſſe, exprobat; minas de nique præpoſuit, terrorem iniecit, & diſſoluen di æris alieni uiam tradidit. Debitor, cū ſibi obiecta eſſet uiri ſingularis ſpecies, perterrit⁹ de ſomno excitatus eſt, hiſq. adeo motus eſt, ut uiam ab Euphebio ſibi datam, continuo per ſecutus pecuniam in ligno incluſam in mare proiecerit, cum litteris, quarum hæc erat ſentē tia. Per Euphebium, tuum numquam quietus fui, quoad pecuniam mutuam à te mihi datā ti bi remiſerim. habes profecto acerrimum, & diligentiſsimum procuratorē, debitores acerbe, atque ui cogentem, ac extorquentem inuito, & ingratis quod ſuis debetur. euenit, ut lignum illud fluctibus iactatū ad litora Neapol. proiectum ſuſtulerit creditor. fuerat enim eo

tempore eò animi causſa, aperuit. Deus forſitan ad hoc faciendum illum induxerat, homines etiam plerunque ſolent eſſe curioſi, ut omnia ſcire uelint. cognita re, ſancto Euphebio gratias egit, & maioribus officijs deu mct. ſtudioſius, vehementius, ac diligentius eu m in poſterum obſeruauit.

¶ Sacerdos quidam ſepulcrum S. Euphebij frequentare, & ibi quotidie ſacra facere ſolebat. cū, Neapoli ab hoſtibus circunſeſſa, in hoc perſeuerare non poſſet, & dies aliquot intermiſiſſet, maximè angebatur animo, Euphebij tandem numine, quo regebatur, audacter in viam ſe dedit, & integer per hoſtium caſtra iter faciens inuulneratus penetrauit in templum; eademq. via, hoſtibus magno timore perculſis, totoq. corpore contremiſcentibus, domū inuiolatus, & incolumis redijt. Idē alter fecit ſacerdos illius exēplo. hoc amplius, quidpiā boni in tēplo: ipſe & miniſter ſe vidiſſe taſſi ſunt. Hodie hac ædicula habitant, & ſacra conficiunt ſocij S. Franciſci Aſiſinatis, quos à veſtimenti genere Capucinos vulgus appellat, viri grauiſsimi, ac vita ſeueriſsimi. & congruentes cum diſciplina, quam Chriſti diſcipuli coluerunt. Et quoniā huius ſocietatis facta eſt mentio, ſi parumper ab eo, quod initio propoſuimus, cum delectandi gratia, tum horum virorum ſanctitate digrediemur, & aliquid de hac noua Calabra religionis ſocietate dicemus, pergratum omnibus

fore

fore credimus.

¶ Itaque annis fere post natum Iesum Christum M. D. erat vir natione Calaber, patria Rheginus, (Rhegium vrbs peruetus est in vltimo agro Bruttio, seu potius in Calabria. sunt enim Calabri, quos Bruttios, & Magnam Græciam quondam appellabant: rursus, qui Calabri tunc erant, eos nunc Apulos, & Salentinos appellamus) Ludouicus nomine, ex societate sancti Francisci Asisinatis, quæ minorũ, & obseruationis dicitur, huic erat domesticus vsus, & consuetudo cum ciue suo Georgio ex eadem societate; ex animo amici, vere beneuoli. & fideles erant; & unus quasi animus, & duobus factus, ut idem semper vellent, nihil sese plusquam alterum alter diligebat. similitudo morum illos coniunxerat, erant enim sui, summa uitæ integritate, innocentia, grauitate & sanctimonia. qui cum leges, ceteraq. omnia S. Francisci sui auctoris, quæ Iesus christus cruci suffixus ei dictitasse creditur, lectitassent, se dicebant à suis maioribus multum degenerasse, ob idq. Deo, ipsiq. Sancto Francisco infensos esse videbant. Itaque sanctius uiuere cupientes, societatem cum illis dirimunt. & libere viuendi licentiam à magistro Calabro, qué Ministrum vocant, concessam habentes, mutato vestimenti genere, à seipsis non discesserũt. renouarunt, & instaurarunt omnia S. Francisci societatis auctoris, quæ propter vetustatem ob solue-

soluerant. Hæc renouata, & instaurata celebrabantur in Calabria, multi cum Ludouico societatem coibant. Franciscani hæc videntes, Ludouici, & Georgij nomina deferunt ad totius societatis magistrum, quem Generalem vocant, & perduellionis actionem intendunt: cum ipse magister hanc illis licentiam nō dederit. fit iudicium, ad quod Ludouicus & Georgius nullius sibi criminis conscij esse intelligendo, Deo ita monente non adfuerint, auersissimo enim animo illos à seipsis esse, videbant. eripiuntur, euolant, ex societatis insidijs. confugiunt Franciscani ad Pontificem max. qui iussit, ut Ludouico, socijs, & omnibus, qui hospitio eos acciperet, affaretur, salutaret, sacrum, ignis, & aqua interdiceretur. Ludouicus vna cum nonnullis socijs nullius sibi criminis conscij esse intelligentes magnum animum, bonamq. spem in Deo, in Maria virgine, & in Francisco habendo, sese incertæ fugere dederunt. Recipiunt tandem aliquādo sese Philocasium, opidulum inter Vibonem, & Scylacæum. Pontanus vocat Philocathos (locus hic mutus, vbi procreatus, natus, altus, & doctus sum cum grata mihi recordatione in mente numquam versari nō potest, hanc meam germanam patriam esse prorsus numquam negabo, hic ortus stirpe antiqua sum. hic gens, hic multa maiorum vestigia) ibi dominabatur Ferrādus Carrafa Nucerinorum, ut aiūt, Dux, qui habebat Hieronymam Borgiā matrē,

& alia,

& Elianorã Concubletã vxorem,quæ mulieres ſanctiſsimæ,& ſumma in Deũ, & in religioſos, integerrimoſq. viros pietate,legis pœna dedu ci nõ potuerũt,quominus officiũ præſtarẽt,Lu douicũ,& ſocios tecto, ſedibus ſuis receptos, incluſos,& abditos latentes in occulto annum retinerent tamdiu,dum inimicorum ira deferbuerit,& omnes Ludouici,& ſociorum ſanctiſ ſimè actam vitam habuerint perſpectam. Clemens vij. Pontifex max.Ludouico ſocijs, atque omnibus,qui adiumento ijs fuerunt, mitigat⁹, ac reconciliatus,& in gratiam ex inimicitijs re ceptis indulſit,bona precatus,& viuẽdi poteſta te,vt velint, ac ſociorum adiungendorum data,priuilegia irrogauit & diuina multa tribuit beneficia. hæc omnia poſtea Paulus III. Pontif. max. comprobauit. Ludouicus, & ſocij omnibus lætitijs affecti, Chriſto,Mariæ,& Franciſco, à quibus conſeruati erant,gratias agentes,Rhe gij,in tota fere Italia,Sicilia caſas,hoc eſt,ædicu las ædificarunt, & Neapoli ipſe Ludouicus anno Chriſti M.D. XXX.à Deo enim,hominibuſq. adiuuantur uiri ij, cum ſint omnis virtutis,pudoris,iunocentiæ,veteris ſanctitatis, & priſcæ ſeueritatis exemplum,intra vrbium muros habitare nolunt,nec domos magnas,nobiles,præ claras,vel dignitatis plenas ædificare, neque la queata templa, aurata tecta, ſolea marmorea in templis facere. nullam ibi vides ſupellectilem,aulæa,& peripataſmata,aut ueſtes præclaras.

ras. uno ueſtitu, quo dies, & noctes totum corpus tegunt, induti ſunt vicißim illum mutant. eſt laneus obſoletus, ſeruilis, aſperior, quã cilicium, pæne glaucus. ob cuius veſtimenti genus Capucinos vulgus appellat. puto, eſſe penulam laneam, talarem, vel bardocucullum, vel non diſsimilẽ. habent lectulos punicanos, nulla facultas ſingulis datur, ut aliquid ſuo arbitratu, vel ex ſua voluntate faciant, cuſtodi, quem uocant, ſe totos dedunt. nihil cuiuſquã proprium eſt, vltro in ſumma mendicitate ſunt, ac omnino ſine cura diei uenientis, in diem, alienaq. miſericordia viuunt. nummos non attingunt. oſtendunt, quamparua, & quã pauca ſint, quæ natura, quęq. religio Chriſtiana deſideret. ueſcuntur caſeo, carne, atque omnibus eſcis. habent ſæpe ſuas inedias, quę ieiunia appellantur. Contemplationem actioni anteponunt, ſemper contemplantur, precantur. hominem peccata confitentem non audiunt. de religione Chriſtiana concionantur gratis, neq; in ſuis templis. muſicam non tractant, neque cantare, nec pſallere diſcunt. ſeipſos virgis, & flagellis cędunt, ne otio langueſcant, veſtes diſciſſas reſarciunt, vel fodiunt. ſunt denique viri iuſti, modeſtiſsimi, ac pæne humiles. vita duri, corpore inculto, horrido, & duro. Hæc fere de hac ſocietate dicere habuimus, plura, cum plus otij nacti erimus. Ludouicum (quod fere obliti eramus) Philocaſtri, quod eſt opidulum

dulum

dulum in Calabria, humatum, ex vita ſanctiſſimè acta, & ex multis, diuiniſq. beneficijs ab ipſo poſt mortem profectis, & ex rebus nouis, & inuſitatis in eius ſepulcro factis, in cælo eſſo certo ſcientes, beatum appellamus: non dú enim ſanctis annumeratus eſt.

Oratio.

Da nobis quæſumus domine Deus noſter beati Euphebij confeſſoris tui, atque Pontificis gloriam inceſſabili deuotione uenerari, ut, quem digna mente non poſsumus imitari, humillibus ſaltem frequentemus obſequijs. Per dominum noſtrum.

VITA S. AGNELLI

DAVIDE. ROMAEO PHILOCASIO

AVCTORE



GNELLVM, quem vulgus Anellũ vocat, generosa, sed non antiquissima Neapoli stirpe ortum fuisse, legimus: nam licet hæc fuerit eius germana patria; generis tamen antiquitas Syracusis multo tempore ante ex veteri sanctæ Luciæ familia Neapolim erat profecta. Habuit parentes Neapolitanos patrem Fridericum Sodericum, matrem Ioannam ditissimos, iustos, & pios. Ioanna, filijs numquam procreatis, frequens erat in templo Virginis, ibi precabatur ab ea, vt liberos sibi daret. templũ illud postea ipsi Agnello ibi sepulto dedicatũ est. euenit tandem, ut Mense Martio verba hæc ex illa imagine exceperit. Ioanna preces tuas audiuimus, gignes filium nobis carissimum, cui Agnellus nomen erit, non casu, & fortuitu, nam si proprium, & verum eius nomen quæretur, suæ virginali vitæ modestia, verecundia, bonitate, temperantia, & dictorum, atque factorum moderatione, cur Agnellus sit appellatus, caussam explicabit. nec aliunde nomen

traxisse existimabitur. Itaque anno D X V. post natum Christum mense Decemb. Simmacho Sardo Pontifice max. regnante Anasthasio Græco. Ioanna peperit infantē filiū; & octauo post die, cū salutari aqua expiandū curarent, Agnellum appellarunt. Agnellus adolescebat lepid⁹, venustus, forma & specie liberali, & eximia summæ virtutis spe. tantum in litteris adolescentulus discendo perfecit, ut uirgula diuina illi suppeditatæ; & diuinitus omnia ad illum delata viderentur. viuebat sanctè, quietè, honestè, humiliter, ac demisse: summissius semper se gerebat aduersus oēs, ut sui nominis significatio declarabat. omni scelere, omniq. peccato caruit. In adolescentia parentibus orbatus, adita illorū hereditate, sacrisq. initiatus, domum perhospitalem ædificauit prope fanum, in quo suus natalis dies prædictus fuerat; cum propter cæli temperationem; ibi enim aer purus, & tēperatior, & cælum tenuius est; tuum propter suam erga locum illum pietatem. in hanc domum omnes pauperes infirmissima valetudine vndique collectos comportabat. ibi omnes medicaminibus, & miraculis ita curabantur, ita leuabantur, vt Deus medicinā facere videretur. Agnelli pietas, & amor tātus erat in omnes, ut fermè in manibus semper medicamenta teneret, sua pecunia alebat, & sustinebat omnes; reliquum tempus, quod erat exiguum, precibus, & Dei contemplatione traducebat. Huius templi pā
rie

rietinæ,& reliquiæ in horto religiosarū virginū sancti Gaudiosi hoc tempore videri dicūtur.

¶ Erat Anna quædam exacta ætate mulier, quæ, cum aliquarum gallinarum,quæ ab Agnello paratæ,ut ægrotis victum suppeditarent,domi alebātur,curam sustinebat;tum ægrotis ministrabat:nam & aliqua mulierum propria sūt, & Agnellus solus omnia gerere,atq.onera sustinere non poterat:immo ambos ægrotorum cura & diligentes,& attētos,& occupatos,& semper impeditos tenebat. gallinæ dum huc,& illuc passim latius tota vicinitate vagabantur, surreptæ fuerunt à quibusdam hominibus, cognatione,ut creditur,paterna cum Agnello cō iunctis. Agnellus & Annæ clamore, & lamentis;& hominum impietate, & scelere commotus,cum eos animo tam uidisset,quàm ea, quæ oculis cernimus,misit Annam illos suis verbis admonituram,vt gallinas restituerent;ne incōmodo aliquo afficerētur pauperes, quos Christus vsque eo diligit,ut ipsos captiuos e seruitute redemerit suo sanguine. verba hæc odiosa fuerunt machœrophoris illis,vt in Annam iniuriosi, clamore, conuitioq. iactatam domo sua præcipitem exturbauerint;conspectoq. Agnello,qui hæc videns, ipse adibat, prodierunt obuiam,iniuriosius se ab ipso tractari,conclamātes,cum furtum nō fecerint. poterant inficiari hoc,cùm à nemine se visos,& crimen nec suspitionibus,nec coniecturis coargui posse,intelli-

gerent. Agnellus fraternè, comiter, benigneq. re-
spondit, nollét peccatũ peccato cumulare, nec
à mendacio contra verum stare; cum vates Dei
sanctissimus diceret, Perdes omnes mẽdaces,
fallentesq. mendacio. satis ipsis esse deberet,
non satisfecisse Dei mandatis; eius legem, dicẽ
tis, Non furtum facias, irritam fecisse: hoc am-
plius, eius seruis contumeliosissime maledi-
cere, & contra veritatem resistere, atque re-
pugnare auderent. qui veritatem resistit, Deo
resistit. se à Deo, cui nihil occultũ est, ad eos mis
sum, ex eius mandatis moniturum, ut erratum
suum agnoscerent: aliter, Deus, cui omnia pa-
tent, grauiter exardescet: non temere illis ira-
scetur. Agnellus plura de hoc peccato dixit, gra
uissimis illos verbis reprehendendo: sed illi ve
ritatem, & peccatum occultantes domo sua
Agnellum extruserunt. de quibus vnus eũ mẽ-
tiri dicens, eiusq. malam manu percutiens, ge-
nuinum dentem euulsit. qui dens hodie in eius
fano dicitur seruari. Agnellus dolorem facile
passus, illos, inquit, Deo iniurias fecisse, nec eas
seipsum persecuturum, ne proprium Dei offi-
cium, atque munus vsurpare videretur; sibi tan
tum nõ assumere, neque arrogare. Deus igitur
vlciscetur; debitam, & meritam gratiam eis re-
feret. vix hæc dixerat, cùm Deus omnibus palã
fecit, & quantum illum amaret, & quantum il
larum rerum haberet odiũ, pœna declarauit, &
mendacium refellendo coarguit. nã qui Agnel
lum

sum manu pcusserat, mācus manu capt⁹, & debilis illico factus, oculis; cū primus gallinas vidisset, & ceteris hoc persuasisset, priuatus est; & pili omniū, qui gallinas contingerāt, in gallinarum plumas conuersi fuerunt. hoc certissimo fuit argumēto, eos gallinas auersas necasse: sed post confitentes peccatum suū ab Agnello sanati sunt: solus illorum consiliarius, qui Agnellū percusserat, oculis amissis in luminis cæcitate semper vixit, & ex eo tempore ad hanc nostrā diem eius familiæ senior, quàm ceteri, in huius rei memoriā, cū id ætatis agit, qua tum erat ille, lumina amittit, licet prima nominis littera mutata, pro Sodericis immutauerint. His visis Neapolitani cum rerū desperatio animos suos occupabat, ad Agnellum confugiebant, & semel, iterum, ac sæpius hostes Neapolim obsessam tenentes Agnellus solus nullis armis, nisi crucis vexillo pellendo, fugauit, & à patriæ aditu, & ascensu repulit, & eā obsidione liberauit. nec nō post mortem visus est cum simili vexillo repellens atque fugans hostes Neapolim circumsedentes. Hinc eius simulacrum cū vexillo collocatum videmus. Quare magnam sublato metu hostili ex his rebus famā, laudē, & gloriā consecutus ab omnibus visebatur, obseruantia colebatur; ut non satis ad Deū contemplandū temporis haberet. quæ animaduertens, timere cœpit; ne his rebus elatus, & inflatus non contineretur in his audiendis, vidēdisq. gloria, & pdi

catione sese efferret, in desertissimã solitudinẽ discesſit. & ibi tãdiu, agrestib⁹, asperisq. herbis, & crudis agrestiũ arborũ pomis past⁹, vitã egit dũ hæc verba è cælo audijt. Agnelle cur patriã deseruisti: si esses Neapoli, fructũ multo maiorẽ, q̃ hic, meruisses, quẽ retribuisset tibi De⁹: licet enim cognitio, contemplatioq. Dei actione potior sit, eiq. semper anteponenda: tamen actio cognitioni anteponitur, cum tempus, & necessitas flagitat, vt homines, vicinos potissimum, qui in Christi numerũ nomen dederunt, vel daturi sunt, cum malis vrgentur, necessitate premũtur, eorum salus in discrimine uersantur, subleuem⁹. His auditis Agnellus obstupuit, & derepente Neapolim ad domum suam per hospitalẽ redijt; cum fuisset ibi annos vij. Mens. IX. D. III. prope quam domum illo tẽpore Gaudiosus cognomento Septimius Cœlius Pontifex Bithynicus, Quemvult Deus, complures itẽ alij sacerdotes Afri, qui cum Vandalos Africã diripientes (quod & diuus Aurelius Augustinus in epistolis scriptum reliquit) fugerẽt, Neapolim venerant, domicilium sibi ædificauerãt; intellectaq. vita, quam beatus Agnellus agebat, ipsum vehementer repugnãtem sibi rectorem, & magistrum, qui Abbas vocatur, adoptarunt. erat Agnellus in precibus asiduus, diligens, & attentus; in admonitionibus blandus, amicus, grauis; in obiurgationib⁹, ad quas non iratus, sed inuitus, & necessariò veniebat,

maiore

maiore vocis contentione, & verborum acriore grauitate utebatur. fuit denique seuerus, modestissimus, prudentissimus, integerrimus, & castissimus uirgo vsque ad suæ vitæ finem. Gaudiosus interim, & socij ex hac vita decesserãt, sepultiq. fuerant in templo ipsi Gaudioso nunc dedicato, quorum dies anniuersarius agitur . Agnellus sexagesimo & primo anno post diem natalem suum, quo die sanctæ Luciæ sacra anniuersaria cõficiuntur, res diuinas faciẽs mortem suam multis hominibus, qui intererãt idq. oculis lacrymantibus audiebant, prædixit. postero autem die, qui fuit XIX. Kalend. Ianu. lætus, Deo, hominibusq. carus, beatus, & felix migrauit in cælum. post natum Christum DLXXVI. Ioanne 3. Pontifice Roman. Neapol. Fortunato: & Iustino II. Imperãt. Græc. Eius corpus mortui, vt dormientis cilicio indutum, humi stratum in cella octo fere pedum in fornicato interiore templi pariete, quæ hodie piè visitur, inuentum est. Idem Fortunatus Pontifex Neapolitanorum omnia hæc à se conscripta, communita, & confirmata sanctissimis testimonijs Romam ad sanctum Gregorium Pontificem max. attulit, qui vehemẽter omnia sententia sua comprobauit, auctoritatem his dedit, & Agnellum ad sanctorum numerum adscripsit. Hoc tempore in eodem templo, vt diximus, ipsi sancto Agnello consecrato, eius corpus sub Ara sepultum est; vbi S. Augustini

ſocij canonici regulares ex congregatione, familiaq. diui Seruatoris, quos vocant, ab anno M.DXVI. ſacra conficiunt. Miracula, reſq. nouas,& inuſitatas amplius L. in eius ſepulcro factas eſſe legimus. quæ cum notæ,& apud omnes Neapolitanos peruulgatæ ſint, nos vitas ſcribentes tacitas præterire ſolemus. In eo ſepulcro è marmore hæc grandioribus litteris inſcripta ſunt.

Huius
Corpus. ſub
Hac. ara. conditum
Pie. veneratur. à Neapol.
Anno CCCCCLXXVI. xviiij.Kl.Ianuar.
Regnante. Mauricio. Tiberio. Aug.
Et. beato. Gregorio. Romane. ſedis
Pont. Max. nec non. Fortunato
Epo.Neapolitano.beatus. Anellus
Ad. celeſtia. Regna. migrauit

Oratio.

Deus, qui hodierna die beati Agnelli Abbatis animam cæleſtia regna penetrare feciſti, concede nobis tuis famulis; ut eius patrocinijs adiuuemur, cuius tam præclaris beneficijs gratulamur. Per dominum.

FINIS Vitæ S.Agnelli

DAVIDIS. ROMAEI

SANCTA. RESTIVTA VIRGO. ET. CHRISTIANAE RELIGIONIS. TESTIS.

GRAVISSIMA



ONA DE chriſtianorum capitibus, & de bonis anno fere Chriſti CCLVI. à Valeriano, & Galieno filio lata erat proſcriptio.per omnium gentium, terrarumque orbem manauerat. Africa hoc ardebat incendio. nullus denique locus tam firmum habebat præſidum, vt à feris nominis Chriſtiani hoſtibus tutus eſſe poſſet. chriſtianis ante lares ſuos familiares manus afferebantur.manibus, pedibuſq. ad ſupplicia, ad neces trahebantur. Cum Reſtita in Africa nata, virgo nobilisſima, & doctisſima puella, & optimis omnibus à Cypriano Cartaginiens. Pontifice crudelisſima eo tempore morte mactato, informata fortaſſe,qualis eſſet chriſtiana, & religione ſanctiſsima imbuta,ad Procliũ pro prætore de religiõe chriſtiana rea facta, in capitis vocata iudiciũ; in eiuſdem regionis pago, qui Ponizarium uocabatur, vbi nata erat, capta, ornate, & copioſe de capite ſuo cauſſam dixit. Proclius,cui Orcus pſuaſerat, relignẽ chriſtianam eſſe ſuperſtitionẽ,Reſtitutã eculeo torqueri,inde capillis ſuſpendi, & pedes clauo figi iuſſit,

ſed

sed nihil ꝓficiés, Deo Restitutæ corpus inuio-
latũ defendẽte, dicebat, id cantionib⁹, & vene
ficiis fieri; utq. oĩbus ꝑpetuo esset exẽplo, hoc
leto Restitutę pereund ũesse uoluit: eam vinctã
in nauiculam teda, pice, stupa, reliquisq. re-
bus ad incendia aptis completam immisit; &
satellitibus, qui in altera nauicula veherentur,
hoc mandauit, ut cum in alto essent, ignem
in Restitutæ nauiculam coniicerent. Iam sta-
dia ad xv. processerant, & Proclij mandatis sa
tisfacere, uolũtati obedire, & parere cœperãt;
cum sua ipsorum nauis ignem concepit, & om
nes igni cremati sunt: sola Restituta in nauicu
la sua remansit salua, & incolumis superfuit:
& res has oculis intuens, & animo complectẽs
stupebat. omnia Dei glorianda, & uera cum
gloria prędicanda, & præseferenda esse, dice-
bat: omnia ad immortalem Deo gloriam da
bat: eius denique fidem obtestabatur, miseri-
cordiam implorabat, ut à miseriis eriperetur,
& in cælum euolaret. cum ecce unus ex cæle-
stibus Dei nunciis eam consolatur, & suadet,
omnem [illegible] animæ, & corporis curam abiicien
dam; omnem spem Deo, qui parua, & magna
curat, ponendam; nullam improborum uim
posse eam fallere, atque superare. hortatur præ
terea Restitutam, ut magnã spem haberet, op-
ptime sibi euenturũ, quod mitteretur ad mor
tem, uel potius ad vitam. his, & aliis uerbis
permultis vltro, citroq. habitis, Restituta lo-
quens

quens animam efflauit. Nuncius Dei nauiculam ſaluam ad paruam inſulam Hadrimam appellatam prope Prochytam appulit, & Lucinæ, ~~hoc nomine erat~~, mulieri chriſtianæ dormienti in ea inſula rem omnem demonſtrauit, & ab initio res, quemadmodum geſta ſit, expoſuit; præcepit deinde, ut Reſtitutæ corpus redderet terræ. Lucina ei nuncio obediens, Reſtitutæ corpus domi ſuæ affecit ſepultura, & diem, in quo hæc acciderunt, ſibi notauit.

Conſtantinus cognomento magnus Rom. Imperans Byzantium reædificaturus, in græciam proficiſcens, Neapoli audiens res multas, nouas, & inuſitatas, quæ quotidie in ſepulcro ſanctę Reſtitutæ fiebant, ut eius corpus ſanctiꝰ religioſiuſq. coleretur, Neapolim tranferendũ curauit, & templum illi exædificauit, quod maiores noſtri Epiſcopion, & Archiepiſcopatum nuncuparunt, ſic à Græcis accipientes. nam quod hoc tempore videmus continens, atque adiunctum fano ſanctę Reſtitutæ à Carolo Andegauienſi Rege anno fere Chriſti M C C X C. cõſtructum, & ſancto Ianuario dedicatum eſt. amplisſimis muneribus illud Conſtantinus donauit, quibus in perpetuum ſacerdotes ſacra conficere, ſarta tecta huius ſacræ ædis tueri, & aduenas, & pauperes, qui repentina perierint morte, ſepelire poſſent; ut S. Reſtitutę mors penitus in hominum memoria inſideret. Silueſter Pontifex max. Neapoli vnà Conſtanſtini fa

ctum

ctum probabat, delubra multa costructa consecrauit, decreuitq. ut in sanctarum virginum quæ vitam religioni christianæ donauerunt, numero esset. ac ei⁹ dies festus anniuersarius agitaretur. XVI. Kalend. Iunias.

Oratio.

„ *Omnipotens sempiterne Deus, qui terræ, marisq. miracula tuæ potentiæ meritis beatæ Restitutæ uirginis, & martyris tuæ operari dignatus es, quæsumus, ut eius pia intercessione nobis famulis tuis in terra uiuentibus portum salutis indulgeas. Per dominum nostrum.*

AD RELIGIOSVM, AC PERILLVSTREM VIRVM FRANCISCVM CARRAFAM

Ferdinandi Nucerinorum Domini F. custodem, ac præsidem sancti Andreæ. In sanctæ Candidæ minoris uitam Præfatio. Philocasium:



VM diligenter inquirebamus in ea, quæ memoriæ prodita sunt de nostra sancta Candida minore (sit hoc discrimen inter has sanctas custodes, ac ꝓcuratrices Neapolitanorũ: nã vt discrimen, quod in maioribꝰ nostris nõ fuit, tollamus, primi ex omnibus historicis hanc Cãdidam minorẽ, illã vero, quæ Aspremũ habuit æqualẽ, Candidam maiorẽ, cum ætate antecesserit hanc, vsurpare, atq. appellare voluimus) Paulus Tassus vir doctus humanus, & sacerdos inte-

integer, tuus procurator caram mihi tui memoriam excitauit, memini ſtatim, te cuſtodem & præſidem eſſe S. Andreæ, in quo S. Candida minor ſepulta eſt: & quia ego, mei omnes, & res noſtræ in fide omnino, & clientela tuorum ſumus: proinde, cum ſeptimus iam annus noſtri deſiderio acceſſerit, ſumma ſtudia, ſummaq. in te, domumq. tuam officia mea omnes expectare, & deſiderare, arbitror; ut igitur illorum opinionem fallam, aliqua ex parte declaranda mihi ſunt. ego ne ſim ſaluus, ſi aliter ſcribo, ac ſentio, te iuuenem innocentiæ exẽplum, mihi amiciſſimum ſemper obſeruaui, teq. innocentia, & integritate tua tueri prædicaui. Hoc ſi nullo iam antea argumento iudicare potueris, hoc tempore hoc libello de ſancta Candida, quem ad te amantiſſimè ſcriptum miſi, iudicabis, & mea ſummæ neceſſitudinis officia conſtare. Vale. Neapoli. Kalend. Quinctil. M. D. LXVI.

VITA SANCTAE CANDIDAE MINORIS NEAPOLITANAE



A Dauide Romæo Philocaſio ſcripta.



ANDIDA Minor, non ea, quã Petrus Chriſtianorum dux, ſignifer, & princeps religionẽ ſanctiſsima obſtrinxit, tamet-ſi (quod ſupra in vita S. Aſpremi, & Candidæ eius æqualis diximus) utrique Prid. Non. Septemb. ſacrã ſollemnia conficiuntur. ſed hæc, quam nobis, vt diſcrimen tolleremus, Candidam Minorem vocare placuit; Neapoli in ampliſsima ciuitate ampliſſimo loco nata GF. anno fere Chriſti DXXXII. oſtẽdebat, & à pueritia præſeferebat, quæ mulier eſſet futura: nam cum eſſet virgo in parentum chriſtianorum poteſtate, quantum poterat, ſe ab omni cura, moleſtiis, & angoribus

goribus abducebat. ad precandum,& contem plandum transferebat animum. omne tẽpus, quod sibi à negotiis vacuum erat, in iis rebus consumere solebat. sempet aliquid spatij surri piebatur ad hoc, vel parentibus,prope dicam, inuitis. nulla hora erat ei vacua ab aliqua pia, christianaq.exercitatione. nullus locus, nullũ tempus de rebus Dei & agendi, & cogitandi prætermittebatur. grandis, & nubilis a parentibus in matrimonium collocata est. quod fecit, vt illorum, credam, quos numquam contrauenerat, uoluntati pareret. nec dum sancta rum mulierum societates Neapoli erãt conflatæ. mulieres enim nuptæ possunt & sanctissimè viuere,& officio,& pietate Deo satisfacere. sed priusquam fieret hoc, petiit à suis parentibus, ut tribuerent, & concederent sibi hoc;ne ditissimo, vel nobilissimo, sed quam optimo ciuitatis se ipsam collocare vellent. id quod ex sententia, Dei benignitate, successit ei, ac plusquam volebat, & petere audebat, obtinuit. hæc sunt munera, quæ liberalissimus, munificentissimusq. Deus diligentibus se largiri consueuit. nupsit enim cum locupletissimo, optimo nobilissimi generis iuuene, non omnino tali uxore indigno. lectissima uxor optimum habet virum. iuit in locupletem, refertamq. domum. ubi sanctissime uiuere fortius perseuerauit, large pauperibus donans, pluscu lum etiam, quàm concedebant fortunæ largie batur.

cum nuptæ liberius data sit uiuendi potestas: in loquendo seueritatem adhibebat. numquã cum aliqua familiariter cauillari, vel iocari visa est, seuerè semper dicebat omnia. mulieres pretiosa ueste indutas, fucoue illitas, unguẽto perfricatas, faciem, atque vultum fingentes, & simulantes penitus, & acerbe oderat, multoq́. peius, quàm Orci socios. Parentes, & maritus indulgentia nimia in Candidam fuerunt, vt beneuolentiam, nulla animi offensiuncula facta ad senectutem erga ipsam conseruauerint, vt nihil iis Candida esset carius, nec vmquã fuerit. Candida pietate colebat propinquitatem, caritatẽ in omnes retinuit, nũquam cum illis, vel cum famulis, ancillis, aut cum domesticis in gratiam rediit. nam simultates numquam, aut querellæ habitæ sunt. numquam irascentẽ, aut stomachantem Candidam uidit aliquis. neminem ne minima quidem re Candida offendit, quod quidem senserit, licet aliquid ex eo ipso audierit, quod nollet. omnes Candida amabat, omnes obseruabat; omnibus obsequi studebat. ipsa autem erat apud omnes in gratia. hæc caritas, quæ inter Candidam, & domesticos erat, hæc cõiunctio hęc iucundissima vitæ societas nulla re vmquã dirimi potuit.

Procreauit filium unigenitũ, qui vnà cũ suo patre ægra, infirmaq. valetudine totos dies, & noctes fuit, & vterq. satis vehementer diu ægrotando, animam sæpe agebat. Deus fortas-

se Candidę periculum faciebat, & eius patientiam tentabat. sed nihil diuinam animi eius constantiam eripere potuit, nam rerum humanarum tolerantia, fortunæ contemptione, virtutibus denique omnibus septa illos cum suspirio numquam aspexit, pro utriusq. salute orando dicebat, se certo scire, Deum neutiquam cupere, homines mortem occumbere, illos potius in vita manere, quò uiuendo se pæniteat, quòd Deum offenderint: de sententia ergo decedere uelit. ipse est, qui mutat fata, quæ hominibus dicuntur impendere, nihil .n. fato, sed omnia ipsius Dei uoluntate fiunt; quare seipsam Dei ancillulam exoptare, ex corporis incommodis liberari, & à vita recedere, vt suorum vitam morte sua redimeret. Deus aures suas omnium piorum hominum querelis semper patentes, dedit Candidæ, eius precibus, audiendo, cessit. annorum numerum ad hanc uitam eius marito, & filio prorogauit, ipsa vero leuiter ægrotans, prope annos L. nata, ab omni animi perturbatione libera ex hac uita migrauit in cælum. Pridie Non. Septemb. anno fere Christi DLXXXII. anno IV. regni Mauricij Græc. Pontifice Roman. Pelagio II.

Eius corpus in tumulo e marmore in æde S. Andreæ in Nido uico sepultũ, & in tenebris abditum, nuper repertum, atque effosum est a Paulo Tasso Neapolitano, sacerdote, pio, & integerrimo, templi æditúo. Cuius templi præses

est

est hoc tempore Franciscus Carrafa Ferdinādi Nucer. domini F. ortu ciuis meus, de cuius ueris laudibus melius est silere, quā pauca dicere. Quodam tempore sanctæ Candidæ corpus multo sudore, quod manna uocant, manabat. hunc humorem Christiani colligentes, si piè, & fidenter illo vngebantur, quacunque incommoda erant valetudine, salutem accipiebant. excitentur ex annalium, antiquitatisq. monumentis Philippus quidam Brācatius, qui paralysi laborans; & alter grauissimè ægrotans hoc diuino medicamento sani facti sunt. mutus ad S. Candidæ tumulū ductus locutus est. multas præterea res nouas, & inusitatas ibi factas esse, legimus. Ascribemus, nihil mutantes, elogium eius monumēti uersibus poetæ boni, quos ferebat illa ætas, grandioribus litteris incisum.

Mors. quæ. perpetuo. cunctos. absorbet. hiatu
Parcere. dum. nescit. saepius. inde. sabet
Felix. qui. affectus. potuit. demittere. tutos
Mortalem. moriens. non. timet. ille. uiam
Candida. praesenti. tegitur. matrona. sepulcro
Moribus. ingenio. et. grauitate. nitens
Cui. dulcis. remanens. coniunx. natusq. superstes
Ex. fructu. mater. noscitur. in. subole
Hoc. precibus. semper. lacrimosā. hoc. uoce. petebat
Cuius. nunc. meritum. uota. secuta. probant
Quamuis. cuncta. domus. numquam. te. flere. quiescat
Felicem. fateor. sic. meruisse. mori

Hic requiescit in pace Candida GF. quæ vixit Pl. M. L. DP. die IIII. Septemb. Imp. dnn. Mauritio PP. Aug. anno iiij. Pc. eiusdem annij. Ind. iiij.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, fidelium tuorum indeficiens conseruator, qui beatæ Candidæ clarificari dignatus es sollemnitate exaudi preces supplicantis ecclesiæ, & præsta, ut quod deuote expetit, ea suffragante, consequi mereamur. Per dominum nostrum.

Finis. Primi. Libri.

SEcundus liber, qui Deo adiuuante edetur, erit de iis sanctis, quorũ corpora Neapoli humata ueneramur. hos separatim suo nomine notabimus.

Ad Archiepiscopatum, quod vocant.

Marianus martyr.
Eutycetes
Acutius

Ad S. Euphebium

Maximus
Fortunatus

Apud S. Eligium

Eligius

Ad S. Gaudiosum

Gaudiosus Pontifex Bithynicus
Quem vult Deus
Priscianus

carpo-

Carponius
Fortunata virgo
Ad S. Laurentium Franciſcanorum
Leo Pont. max.
Ad S. Ligorium
Ligorius martyr
Ad S. Mariam Maiorem
Pomponius Pont. Neap.
Ad S. Patriciam
Patricia uirgo
Apud S. Seuerinum Benedictinorum
Seuerinus Abbas
Soſſius martyr diſcipulus diui Ianuarij
Finis Sanctorum
Neapolit.

D. Romaeus Philocaſius Neapoli
conſcribebat. ∞ DLXV.

DAVIDIS. ROMAEI
LIBER. TERTIVS.
AD. GVLIELMVM. SIRLETVM CARDINALEM. ET. PONTIFI CEM. SCYLACAEORVM.

In sancti Thomæ. Aquini uitam Præfatio.




VI Historiæ in omnibus artibus, quæ ad humanitatem pertinet, principatum dederunt, recte ni me fallo, sensisse uidentur: cum ea adolescentiam agat, senectutem oblectet, secundas res ornet, aduersis perfugium, & solatium præbeat. huius igitur studio incensus, hanc superioribus annis, si facultas daretur aliquando, tractare decreuimus. lectisq. multis auctoribus ad scribendū tandē aggressi sumus. & quoniam omnium rerum magnarum principia à diis immortalibus ducenda esse, scimus. à diuorum nostrorum rebus exordiri nobis placuit. factoq. fine de rebus sanctorum custodum, & præsidum Vrbis Neapolis, ad scribendi studium de sancto Thoma Aquino nostro me contuli; cuius vita à nobis conscripta, noster distrahebatur animus.

nam cum nemo nostro Thoma post hominum memoriã doctior, sapientior, integrior, & sanctior fuerit, ad aliquem nullam, aut non multam dissimilitudinem habentem libellum nostrum mitti, par erat. Itaque uirum ita honestum, ita ornatum requirentes, te ex omnibus, omnium iudicio elegimus. cum tu omni liberali doctrina, & philosophia perpolitus, animũ iis excoluisti: numquam delectatus, aut usus litteris vulgaribus; & illis præsertim, quæ hominum animos deterrent, à religione, & à pietate auocant: sed his interioribus, reconditis, & exquisitis, quæ ad perspiciendam, & colendam virtutem, atque religionem adiuuant. tu rerũ explicator disertus, seuerus, grauis, litteris Iudæis, & Grçcis in primis eruditus, omniũ Theologorum principatum obtines. piè, sanctèq. Deum semper coluisti, misericordem in alios te præbes, aduersas res, & secundas, & humana omnia moderatè tulisti. tu vnus omnium iustissimus, & optimus, prudentissimus, grauissimus, & integerrimus, libere & sancte uixisti. In conciliis Tridenti habitis, animi, & ingenii tui lumen ostendebas, dum amplissimi Cardinales te consulere solerent. omnes tuis prudentissimis, atque amantissimis consiliis parerent, magnam es laudem consecutus. Quare Pontifices max. certatim honoribus augere, & honestare te cœperunt, unus bibliothecam, quæ in Vaticano est, tibi tractã

dam

dam dedit; alter in Cardinalium collegium te cooptauit. Pius V. Scylacæorum, ciuiumq. tuorum Pontificem te fecit. Hæc omnia superbum te numquam fecerunt, vt nimium tibi sumpseris, & ferendus non fueris, sed semper idem, qui fueras ante, vt omnes licet numquam te creuerint, semper oculis te videant, obseruent, & coant. in quibus nos iamdiu numerari possumus, nec vmquam à Deo precari destitimus, vt occasionem daret, qua obseruantiam, qua te colimus, tibi, & omnibus hominibus præsentibus, iisq. etiam, qui postea nascentur, declarare possimus. Quare cum hac de caussa; tum, quia, vt supra diximus, te dignior nobis non occurrebat, hæc nostra, hoc est, sancti Thomæ Aquini vitam latinis litteris à nobis illustratam, ad te, cuius domi hæc, & maiora nascuntur, mittimus. nec quod fecimus, institutis, dignitateq. tua alienum putauimus, cum moderatè, ac in bonam partem omnia accipere soleas. quòd si nostra hæc tibi probabuntur, digito nos cælum attingere existimabimus, & ad reliqua pergemus. de ceteris enim in quam partem sint accepturi, minime laboramus. Vale. Kalend. Decem. Neapoli. M. D. LXX.

SANCTVS. THOMAS AQVINVS DOMINICANVS





LONGA vita, maximarumq. rerũ vſus homines docuit, vt bella, quę peſtifera, teterrimaq. videri ſolét, non omni tempore, Deo adiuuãte, mala eſſe iudicemus: cum manifeſto comperuerimus, mirabilis vtilitatis fructus ex his bellis aliquãdo hominibus procreatos. quod vno illuſtri, claroq. exemplo in præſenti confirmabimus. Conradus Sueuus Friderici II. F. Aquinum nobilem, & veterem vrbẽ, quò d vnà cum Capua, & Neapoli ab Imperio, Friderico mortuo, defecerat, expugnatum fun ditus euertit, & incendit: ſed emolumenti plꝰ in ipſa iniuria, quàm in omnibus rebus fuit detrimenti: ex ipſo bello, uaſtitate, & incendio plus boni, quàm calamitatis datum eſt. illa iá abierunt, ſanata ſunt, ac eorum omnis memoria ſenſim eſt obſcurata, & euanuit; bonum autem ſtabile, firmum, fixum nobis permanet, neque moueri, vel vmquam mutari poterit; ſed, quoad mũdus Dei numine regetur, eo nos vtemur,

mur, & fruemur. proinde nascantur, indicētur, moueantur, inferantur nobis hæc bella, antiquiora profectò, & vtiliora nobis sunt, quàm illa pax, quæ fuit anno M. D. XVII. in Germania; tum D C X X I I. in Arabia. conferamus, amabo te Christiane lector, vtramque pacem cum hoc bello; & fructus lætissimos, vberrimos, diuturnos, immortales, & sempiternos nos suscepisse; ab vtraque verò pace detestabilem pestem natam esse, cognoscemus. Tibi igitur bellum gratiæ agendæ sunt, tibi Thomam Aquinum acceptum referimus. tu nobis non consilio, sed casu, & contra voluntatẽ tuā dedisti Thomam Aquin. optime de Christiana republica meritũ, fortissimum, atque inuictissimum militem. qui suorum scriptorum subtilitate, ac elegantia remp. Christianam tutatur, pestes auertit ab ea, perniciem depellit, bella conficit; & incredibili quadam, prope singulari, & diuina ingenij vi perficit, vt piam, æternã, & placidissimam pacem habeamus. Obscuriora diui Aurelij Augustini scripta sine Thoma nostro interprete intelligi, & percipi non posset; ex Thoma cognoscuntur, per Thomam consecuti sumus, vt certe intelligeremus. Thomas in omnibus tenebris clarissimum nobis lumen præfert. Thomas in omnia Pontificum concilia vocatur. Thomæ opiniones in omni cœtu, & concilio proferuntur. in eas patres conss. frequẽtes eunt. in Thomæ studijs libentissimè con-

quie

quiescunt omnes. nullum concilium ab anno Cl϶.CCC. ad hæc tempora habuerunt, vbi Thomam secuti non fuerint, Qui autem contra Thomam dixit, vel scripsit, grauiter pijs hominibus suspectus, & infensus esse videtur. mallē Thomę scriptorum pagellam, quàm naues onustas scriptis illius perniciosè, ac malè de rep. Christiana meriti. quisquis est ille, si modò est aliquis, qui asperius, quàm Christiani patiantur mores de Thoma nostro scripsit. ille in primis indixit, & fecit bellum impium, nefarium, atque omni odio imbutum scriptis, & opinionibus Thomæ, faciendo contra, quàm ipse Thomas egerat cum Augustino, cum ceteris grauissimis, & religiosissimis auctoribus; & contra, quàm liceret, contraq. atque oporteret. ille Thomæ humana, & diuina se peruersurum putando, seipsum peruertit; dum veteres, firmas, stabiles, graues, insitas Thomæ opiniones euellere, ac suas nouas, malas, falsas inserere vult. ille minutis interrogatiunculis efficere enititur, vt pluris habeatur, quàm Thomas. ille philosophans ostentationis caussa, contortis, & aculeatis sophismatibus, & fallacibus conclusiunculis exitio multis fuit, qui eius ineptam, & loquacem disciplinam perceperunt, vel delectantur, aut vtuntur omnino illius litteris, quæ hominum animos deterrent, atque auertunt à religione Christiana. ex eius morte perfacile, nulloq. negotio intelligi potest, quam

vitam

vitam nunc agat, cum eam per desperationem amiserit, vel potius mortẽ sibi ipse dentibus cõsciueuerit. abeat, igitur à nobis, ꝑficiscatur cũ sua peste, atque pernicie, ac illorum exitio, qui cum illo se coniungunt. Thomas vero noster, vir modestissimus, iustissimus, sanctissimus, omni doctrina, atque virtute ornatissimus, suis magnis, multis, perfectis, & diuinis operibus saluti omnibus, vt sic dicam, est: homines à fœdissimis factis auocat, ad recte faciendum allicit. res occultas in lucem protulit. Christianam, & Aristotelicam philosophiã illustrauit, honore locupletauit. & gloria amplificauit. Sed longius, quàm proposita ratio postulabat, me prouectum esse sentio, tempus est, receptui canere: nam si omnia colligere, ac de Thoma nostro dicenda vellem dicere, quæq. in hanc sententiam dici possunt, exprimere, & verbis explicare conaremur; citius vires, annus, quàm res; materies semper, & vndique crescens nos deficeret. Floreat ergo Thomas in repub. Christiana omni genere virtutis, discipulorum nobilitate, laudibus, gloria, & honoribus. Viuat clarus in orbe. Laudetur, placeat, uigeat, relegatur, ametur.

THomas Aquinum peruetus opidum Volscorum patriã loci, Neapolim iuris, vnã naturæ, ciuitatis alterã habuisse dicitur. quamuis Calabri nostri, ciuem esse suum confirment, Neapolitani repetant, & cognomen

men hoc hereditarium ex parentibus eum habuisse, dicat vterque. Aquinates suū vendicant, & cognomen nō hereditarium eum habuisse, sed ex patria traxisse, asseuerant. id quod artè tenent, & accuratè defendunt. verùm hoc fama celebratur, quod ego non vulgari solū opinione, sed etiam ad veritatem planè nobis persuaderi velim. familia verò Thomæ uetus, & illustris fuit, nam Landulphus pater, & aui equestri loco Neapolitani, Christiani, omni illustri laude celebrati, cum foris clari viri, tum domi admirandi, & comites Aquini, & Bellicastri duces, quos vocant, fuerūt. mater Theodora duorum regum Ludouici Siculorum, & Petri Terraconensium matertera. hæc cum concipiendi, atque gignendi spe nulla esset, solitarium quendam cōsuluit, qui Bono vocabatur, & vitam in agro Roccæ siccæ agebat. hic omnia futura prædixit, id est, diem natalē, nomen, religionem, vitam, mortem Thomæ, quæq. acciderunt omnia: quod se cum Dominicanis cōiunget præter matris optatum, contraq. eius voluntatem; vellet enim mater, cum Benedictinis saltem, quò honores adipisceretur, alijs præponeretur, sacrorū antistes esset, & Montis Cassini templi præses, in ciuitatibus dominaretur: sed frustra tempus conteret, operam perdet, Deo resistere non poterit. Peperit tandem filium, & Thomam aqua salutari expiatum uocauit, Aquini, vel Belli castri, cū hoc nō liqueat, anno

anno Christo. M. CCXIV. vt Bono prædixerat. Pontifice Roman. Innocentio 3, Regnante Friderico 2. Thomas, simulac natus, & in lucem susceptus est, virtutis specimen, & naturæ, animiq. sui certissima, clarissimaq. indicia dare cœpit, maxime cum esset aliquot mensiũ, schedulam e terra in manũ per se sumpsit, nullo adiuuante, quam vi cum extorsissent de manib⁹, lamentis, & lacrymis se dedidit, vt eum osculãtes, mammas, multasq. res porrigentes flere numquam prohibere potuerint; licet plorando fessus esset, quoad schedulam reddidissent, hac salutatio ad virginem sanctissimam scripta erat. nec cum in cunis, vel in sinu, gremioq. mulierum postea vagiret, illius fletum reprimere poterant, nisi libellus aliquis de rebus religiosis porrigeretur. id quod fecerunt de consilio Bononis solitarij viri. nam cum libelli, crepundia, bullæ, multaq. alia, quibus illa ætas se oblectari soleat, exposita essent, de rebus religiosis libellum Thomas auferebat. quam rem persuaserat etiam Astrologus quidam, qui in prædictione, ac notatione Thomæ vitæ ex natali die, sidera natalitia notando futura prædixerat: verum his, vt hominibus non fidelibus nemo solet credere. fuit hoc vel Neocastri, vel Neapoli, cum in balneas valetudinis caussa cõuenirent. Posthæc, turris, vbi Thomas cum nutrice, & sorore dormiebat, de cælo noctu pcussa concidit. Theodora exanimata illuc cucurrit, &

rit, & Thomam,& nutricem viuos;filiam vero, & alias mulieres, equos etiam, qui in ea erãt, ruina oppressas mortuas reperit.

¶ Calabri sua hoc argumento confirmant. Bellicastrum Calabriæ, seu Magnæ Græciæ vrbs est,Petilia ab antiquis vocata dicitur, in huius arcis triclinio effigiem pueri,qui rosas in lacinia exponit,multi se vidisse dicunt:quærentib⁹, quidnam illud sit, eas esse,respondetur,res nouas, & inauditas factas à Thoma quattuor annorũ,cũ esset, illo in loco, vbi ortus,& procreatus est, qui cũ esset infans puer, & vix pedib⁹ suis ire posse cœpisset, quotiescunque mendicos in atrio conspiciebat, aliquo munere illos donabat,licet certo sciret, idem fecisse domesticos suos. quamobrem tantæ multitudinis, quantam non capiebat eius domus,ex vrbe,ex vicis,ex agris,ex domib⁹ vndique ad eius ædes concursus fiebant. nemo enim inanis vmquã redibat. hæc fiebant cum fastidio patrui administrantis rem familiarem Petiliæ,nam Landulphus pater Neapolim iuris patriam cariorem seipso habens cum illa à Friderici filijs, quod antea iam demonstrauimus, alienatus, longe à domo militando aberat, dum Neapolitani bellarent cum Friderici filijs. Itaque patruus offensionis aliquid ex hoc facto excipiens minaciter Thomã deterrebat, qui ne verberibus quidem deterritus,rem furtim tamẽ faciebat. quidquid panis, quidquid obsonij habere po-

terat,

terat, de medio clam remouendo, in ædium tenebras abdebat. ſemper aliquid ſub lecto latebat, ſibi adimebat, vt pauperibus reſeruaret, & largiretur, quod inuolutum quam occultiſsimè afferebat. ad extremum id facientem, & currentem patruus tandem aliquando in triclinio inambulando vidit, & quid, inquit, aufers Thoma in lacinia? Thomas in re hac erubit, & quid reſponderet, neſciebat. patruus inſtando vrgebat, vt ſibi reſponderet Thomas, qui metuens, ne interpellaretur, & rem amplius facere non poſſet. Roſas, reſpondit: oſtende, inquit ille: præterierat enim roſarum tempus, erat Septēber menſis. Thomas cælum ſuſpiciens, Deo ſe commendans; laciniam aperuit; & eas roſas eſſe, omnes præſentes conſpexerunt. mirabatur ipſe Thomas, panem in roſas eſſe conuerſum, nec patruus rem manibus attrectans, eas eſſe roſas, ſibi perſuadere poterat: ſed blandius cum petijſſet hoc, & veniam errato propoſuiſſet: Thomas, qui ne puer quidem mendacio fallere ſciebat, rem demonſtrauit, & ſuam indicauit malitiam. Hæc res diuulgata percrebuit; & in ore, atque in omnium ſermone eſſe cœpit: vtq. ad poſteritatis memoriam prodita eſſet, in eiuſdem triclinij dealbato fornice, inducto concinno tectorio, eam diligenter effinxerunt. quamobrem Calabri hac, multiſq. rationibus conſtantibus pugnant, iurgio contendunt, Thomam in Calabria eſſe ortum. quod

autem Thomas Aquinas, vel potius Aquinus vocatur; id quidem tanti non eſt, generis cognomine illum eſſe vſum,non ex patriæ nomine ſumpſiſſe,dicunt: cúm multi viri nobiles, principes, reges, imperatores hereditaria cognomina habeant, quæ ab opidis ſumpta videntur. in quibus ipſi numquam fuerunt: vt Toletus,Capua,Sueuus Auſtria,& multa alia huius generis: fieri tamen poſſet,vt eius maiores illinc traxerint cognomina, vel quòd pater dominabatur Aquini, & comes Aquini vocabatur; vel quod ipſe ibi educatus fuerit. Aquinates,quod Thomas de Aquino vulgus appellat, nituntur, & vulgi iudicio,atque fama,non veritate.nos,ſi,vt Calabri ſententiam rogaremur, (cum Calaber multa, certiſsimaq.argumenta, rationeſq.habeat, & ſigna det,quam ob rē contendat, & dicat ita) mirari diceremus, homines in hoc laborare, cum ipſe Thomas Calaber ſit, an Samnis, nihil ad nos, aut ſi ad nos; nihil ad hoc tempus. itaque ego Thomæ imitator eſſe malim, quàm ciuis. igitur ad rem. Theodora cum liberis, & familia e Calabria Aquinum confugerat,quo incenſo immanis Conradus Friderici filius natione, natura, & moribus barbarus proſcripſit;& proſequebatur non tātum quos aduerſarios habere ſuſpicabatur; ſed etiam omnes Landulphi gentiles, illius nomen funditus delere decreuerat. Aquinatum domini extorres,profugien-

tes à sæuo Conrado, filium Thomam, quem diuino afflatu magnum fore, audierant, quemadmodum supra diximus, & multa iam infans parentibus dederat signa & pudoris, & ingenij, & sanctitatis, ne, inquã, puer hic innocens quinq; annorum, de parentum complexu abstraheretur, aut in illo trucidaretur, in Casino mõte Benedictinis religiosissimis, atque integerrimis viris commendatum reliquerunt. collocato tali filio in tuto, quid mali sibi casurum fuisset, nihil curarunt. Fuit Thomas ibi duos annos, & cũ grammaticæ studuit, tum rebus diuinis studio se operã dedit, & illorum sanctorum virorum sanctimonia, auctoritate (tanti est, vitam honestè, sanctèq agere.) & cohortationibus excitatus, bonis opinionibus, & sacris imbueretur, ac de illa perpetua, non de hac exigua vita cœpit cogitare. Felices Benedictini, qui vestræ sanctitatis exempla Thomæ ad imitandum proposuistis. vos ei fuistis exẽplo, vt ab ipsa infantia vestro exemplo piè, sanctèq. Deum colere cœperit. erant ibi nonnulli alij pueri, & adolescentuli Neapolitani, qui simili cõflictati fortuna ĩ illã arã confugerant; ij puerili delectatione ducti, pueriliter omnia faciebãt. Thomas in horũ consuetudinem numquã se penitus immersit, sed solitarium nihil non amans, alebatur solitudine, inter coæuos numquam erat, illorum congressum fugiendo, solus semper tum legebat, tũ tacitus cogitabat, & reminiscendo recognosce

bat quæ dedicerat. in Thomam omnium oculi erant coniecti. Thomam adolescentuli, Thomam maiores natu, Thomam senes, thomã Benedictini, Thomam omnes intentis oculis intuebantur: intentioribus religionis magister, qui sępe Landulphum arcessebat, de filio narrabat, hortabatur, vt illum apud se esse fineret: cupiebat enim eum in suum numerum aggregare: quod Deo, qui aliud de Thoma præfinierat, non placuit. sedato bello, venit Neapolim, & omne studium suum in optimis disciplinis, & artibus cognoscendis, atque tractandis posuit. in grammaticis vsus est magistro Martino viro erudito; in dialecticis Petro, qui ex Ibernia venerat. in his tantum profecit, vt prodigijs simile videretur; cum quattuordecim annos natus, sophismatum librum DE Fallacijs inscriptum, Deo adiuuante, scripserit. omnes Itali de Thoma prædicabant, gloriosè loquebãtur. Sed ipse longius, quàm vitæ termini postulant, spe, atq; animo de se cogitans; videbat, homini vana omnia miserum, atque inania mundũ falsa spe inductum polliceri. quare se totũ Deo statuit dedere, & quasi consecrare, & omnia sua in eo ponere. Vigebat in Europa eo tempore maximè Sancti Dominici nomen, eratq. illustrius, quàm ceterorum, in cuius collegium, quod Prędicatorum vocatur, cooptari cupiẽs, Ioanni Sãctigeminianensi integerrimo viro, qui Neapoli præerat Dominicanis, suã sententiã aperuit.

hic

hic in posterum præsentiēs, lætus, laudādo, hortando, ac persuadendo calcaria adolescētulo adhibuit, animos addidit, ita vt in suū numerū Thomam Aquinū aggregauerit. quod prçter cōsuetudinē, & exspectationē omnium accidit. nemo enim erat, qui arbitraretur, acerbā Dominicanorum uitam Thomam esse victurū, quippe qui in nobilissimorum parentum gremio, illorum more, atq; arbitratu educatus, delicatè, & molliter, hoc est, Neapolitano more uixerat. Hæc, & litteris, & sermone multorū ad Theodoram matrem perlata, illam conturbatam variè affecerunt; ut litteris, & oratorib⁹, & spe illū sollicitaret, quò à Dominicanis abduceret. Thomas ad singula omnibus grauiter, atque sapienter respondebat. de suarum actionum cursu alicuius caussa, sententiamue suam numquam deflexit, aut à proposito declinauit. extant epistolæ aliquot Thomæ ad suos, quarum aliquid subscribemus

Hæc Dominicanis nec iucunda, nec grata erant, sorbebant, sed non concoquebant. nobilissimum adolescentem, magna animi, & ingenij spe, rectissimis studijs, singulari bonitate, modestia, dignitate, alta quadam, & diuina mente, consilio, omnibus ornamentis uirtutis, & ingenij, & summa religione præditum, ad amplissimam dignitatem exspectatum de manibus ammittere, ac tan-

tam iacturam facere nolebant: nec enim satis animi, & constantiæ in illo esse, arbitrabantur: cum de altero sit periculosum affirmare: nam propter occultas hominum voluntates, multiplicesq. naturas, omnes homines neque dissimiles, nec à reliquis diuersas habere existimamus. quare dubitantes, quin hæc aliquando adolescentem à religione auerterent, non permiserunt Theodorę filium videre, cum hanc ob rem Neapolim venisset: sed illico eũ Romam ad ædem sanctæ Sabinæ miserunt, vbi erat totius societatis magister. mater Romã filium prosecuta est, cui per Dominicanos nec videre licitum fuit. quæ rogabat, orabat multis lacrymis, precibus obsecrabat, vt filij conueniendi potestatem sibi facerent. adolescentem fulciret, nec corruere fineret, se ob eam, dicebat, caussam Romam venisse. Dominicani & mulieri, & matri non credentes, Thomã Lutetiam Parisiorum miserunt. Theodora grauiter id accepit, dolori suo in his paruit, iracundiæ seruiuit, & dolore elata, longius, quàm conueniebat, digressa, diligentissimè ad suos, qui cum Imperatore in Etruria merebant, omnia perscripsit, quidq. sua caussa facturi essent. milites Theodoræ gerentes moré, in speculis erãt, & in vigilia manentes adoriuntur Thomam, & quattuor comites religiosos, inermes, & imparatos, qui de via fessi, nihil mali suspicantes in fonte Aquæpendentis consisterant, eum comprehen-

prehendunt, eius togam diloricant, reliquos quattuor Dominicanos multis verbis male à se acceptos dimiserunt. magister societatis hæc intelligens, cum Innocentio IV. Pontif. max. & Imperatore de militum iniurijs cōquestus est, licet ius suū postea persequi destiterit. milites Thomam captum, & comprehensum ad matrē secum ad arcem sancti Ioannis duxerunt, propter Aquinum; quæ viso filio aliquantulum acquieuit: nā quod nec per litteras, nec per alios quidem homines assecuta erat, per seipsam se consecuturam arbitrabatur: sed cum Thomā in rebus optimis, optimaq. ratione cōstantem esse, videret; nec eum de sententia posset deterrere, liberali septum custodia domi tenebat, adolescentis animum rebus omnibus, quibus illa ætas capi, ac deliniri potest, pellicere conabatur. iuuenes, qui se totos libidinibus dediderant, in filij cubiculum introducebat; disertos, & eloquentes conuocabat, quò illum à religione auocarent. Thomæ neminem à suo congressu absterrere licebat, nihil tamen alicui vnquā assensus, grauiter omnibus respondebat, illorum temeritatem increpādo, impudentiæ omnes condemnabat; quòd, mulieri gratificaturi, ab officio discederent. rursus, nullo viro optimo vti, nullam Dei, aut sanctorum imaginem, quæ ad rerum cælestium memoriam nos excitat, non atramentum, non librum secum tenere poterat. habuit tamen, nescio

quo

quo modo, Bibliam, & Sententiarum librum, quos vocant: hos per illud biennium ad uerbũ edidicit. considerabat, contemplabatur, & omni Deum intuebatur animo. soror ad illum ventitabat, ut viseret, & à proposita sententia depelleret, ac de suo cursu dimoueret: sed captans capta est, fratris enim cohortationibus commota à proposito declinauit, sententiam deflexit, & illum imitari cœpit; tantum abest, vt Thomæ persuaserit; ad Dei religionem demigrauit, Capuæ se inclusit, & sanctissimè cum sanctarum virginum societate uiuendo aliquot post annos eiusdem fani Sanctæ Mariæ antistita lecta à socijs, ex omnibus facta fuit. mater tamen, cum omnia experiri decreuisset, ut solitarij uiri prædictio falsa foret, omniaque irrita faceret, formidinem Thomæ opponebat, minas posterius iactabat, & pericula intendebat. uenit tandem in mentem huius rei, ex qua raro victoriam reportari solet, filij seueritatem, quæ sibi acerba videbatur, aliquo humanitatis condimento mitigare. itaque misit ad illum feminam pulchritudine eximia, facie, manibusque gipsatissimis, temerariam, & procacem, quæ sale suo, lepore, uenustate, alijsque rebus iuuenes ad sese multos pellexerat, largitionibus corruptam, factisq. maioribus promissis, ut adolescentulus mulierum corruptelis animi magnitudinem inflecteret,

à seipso

àſeipſo penitus diſcederet, in fraudem incideret, eiuſq. voluntas propter peccatum à Deo abalienaretur. Thomas ad focum ſedens, erat hiems ſumma, viſo ſcorto, ſenſit appetitus rationi ſubiectos abieciſſe obedientiā, nec rationi parere: hoc enim homini naturaliter inſitum eſt, cum pulchritudo moueat, & delectet oculos, & mulier dicendo, ac pelliciendo multum valeret; Deus præterea Thomam tentari permiſit, quò maiorem ille victoriam conſequeretur, nam labentem excepit, nec corruere ſiuit. Thomas ergo ſenſibus, & mente motus ex tempore conſilium Dei benignitate cepit. quod ſecutus rem bene gesſit, & uoluptatem, & lætitiam, & fructum maximū, & immortalem cepit, ad mulierem vultu ſeuero, ac triſti reſpiciens, accenſum lignum ſubito in illam coniecit, Quid, dicens, tibi mecum eſt Orci inſtrumentum? qua illa rei nouitate percuſſa, vertit ſe, & profugit: ac rem geſtam expoſuit, cum ſine metu reſpirare potuit. Thomas vehementer in hoc admiratus, Deo acceptum retulit, in ſui cubiculi pariete crucem pinxit eo ipſo ligno accenſo, genua flexit, gratias Deo egit, quòd hoc fidisſimum, atque amantisſimum conſilium ſibi ex re, & tempore dederit, & lacrymàs pro ſeipſo deprecatus eſt; ne ipſe Deus ſineret, ſuam uirginitatem violari: quoniam virgo căſtus, incorruptus, & uerecundus eſſe cupiebat: hæc obſecrantem

arctior

arctior somnus, quàm solebat, complexus est. Deus, qui nusquam discedit, nec à suis oculos deiicit, hæc spectans repentinum adolescentuli xvij annorum consilium, & constantiam laudando, misit duos ex suis nunciis, ut quamgratissimus erga Thomam, illum se amare, ac maiore beneficio remunerari cognosceretur. Thomæ virtus corroboraretur, hi stimuli amplius ei non admouerentur, nec talia pericula ille extimesceret. nuncij Dei cingulum afferentes, eoq. Thomam redimentes, Thoma, inquiunt, quia prudens, & fortis fuisti; inuinctum a uoluptate, & illecebris te præstitisti; cum bene paratis hostibus cominus pro Deo, & teipso bene, ac fortiter pugnasti, nec à uoluptate vinci siuisti, te hoc castitatis cingulo cingimus, cuius præsidio tuam castimoniam, omnesq. cupiditates tueberis. hoc iuuëtus tua coercebitur: peccandi libido resecabitur, in te non erit, & flagitium toto corpore aberit tuo. luxuriæ vmbra in te reperiri non poterit, cum tua inuiolata uirgitate in cælum reuenies. Thomas, dũ cingeretur, arctissimo, ac sempiterno cingulo astringebatur, uehementer ingemiscens, præ dolore sic inclamauit, ut omnes domestici ad illum concurrerint, caussas quærerent. tacuit hoc Thomas, & tacendum putauit, nec alicui umquam, nisi cum ageret animam, comiti suo aliquid nunciauit.

Mater vero cum magis pedem, ut aiunt, con-

ferre

ferre, aut proprius accedere non posset: & frustra se tempus contererе, cum Deo bellare, operam, & oleum perire, intelligeret; neque ad corruptellarum illecebris adolescẽtulum irretiendum; neque cupiditate, neque metu, aut labore ad frangendum ualeret. uiderat iam, Thomam omnes casus aduersus sapienter ferre, constantiam, grauitatem, & perseuerantiã retinere. Thoma, Thoma tu recte inuictus fuisti: nam tuum corpus etiamsi uinculis constringeretur, tibi tamen animo excelso; atq. inuicto nullus timor, nullus terror, nulla uincula iniici potuerunt. Itaq. Theodora; sacerdotibus præterea negantibus; absolui fas esse illi mulieri, quę vehementer in Deum peccare diceretur; memor quæ sibi à solitario uiro dicta erant, Dominicanis filium abripere permisit, qui ad fenestram religatus demissus exiuit. mater hac in re conniuebat; ne uideretur dare filio eius arbitratu uiuendi caussam, & facultatem; ut omnia suo arbitratu facere posset: nec recuperandi spes omnino erat debilitata. Dominicani, dato, concessoq. sibi hoc, Thomam e carcere emissum Neapolim duxerunt, inde Romam, ubi totius societatis magister Ioannes Theotonicus habebat concilium, quæ generalis synodus uocatur. relatum est ad singulos de hac re, qui de diuini consilij sententia pronunciarunt. Thomam Aquinum esse mittendum ad Albertum magnum Dominicanũ

Colo-

Colonienſium Pontificem, qui philoſophiam, & Ariſtotelicam; & chriſtianam publicè interpretabatur, virum cum ſapientisſimum, tum ſanctisſimum, & acumine ingenij, ſtudiis, ingenuis artibus, honoribus, laude, & omnium virtutum genere florendo; propter hæc cognomen ex harum rerum magnitudine traxerat, & Albertus Magnus uocabatur. Thomas ergo Coloniam Agrippinam petiuit à Ioanne Theutonico religionis magiſtro deductus, ad Albertũ Magnum; religioſè, & ſine ambitione ab eodẽ Ioanne commendatus: magiſter ſe talem diſcipulum, diſcipulus ſe talem præceptorem habere gaudebat. hunc præceptorẽ XI. annos ibi audiit. quam in rem toto pectore, omni acerrima, & attentisſima cogitatione, & cura intimus, & familiarisſimus, atque etiam omniũ condiſcipulorum carisſimus doctori, adeo incũbuit, ut, Deo iuuante, longè oĩum, quicũq. fuerint philoſophorũ, & theologorũ princeps ingenij, & doctrinæ extiterit. Oĩa Alberti docentis uerba excipiebat, litteris mandabat. ſcripſit moralẽ ariſtotelicæ philoſophiæ partẽ Alberti interpretatione explicatã. oĩa ſapienter, & cõſideratè faciebat. eius moderationẽ, & modeſtiã cũ in omni uita; tũ in diſcẽdo, & in obediẽdo oẽs cognoſcebãt: omnis. n. virtutis ſpecimẽ ab eo capi poterat: nos vero multis, quę ad eã rem pertineant, prætermittentes, quod ſpecimen ſemel atq. iterum dedit, eo nos contenti,

ut in pauca rem conferamus, breui explicabimus. nulli vnquam præfetulit, numquam se ostentauit, nec uēditauit. in loquendo ita multus nō erat, ut mutus haberetur. ad audiendū, nō ad loquendū se eò venisse dicebat. cōdiscipuli incōsideratissimæ, ac dementissimæ temeritats pleni, sic dicendū est, Thomam oēs alios admirantem contemnebant, clamoribus, conuitiis, & sibilis consectabātur. hebetem rudē, & mutum esse dicebāt; ex quo Bos mutus ab illis vocitabatur; tantum abest, ut irascens aut stomachās sit visus, vt his gauderet, licet cū temeritate quadā sine iudicio facerēt, incōsideratè, ac temere sæpe dicerēt. Albertus tandē perfectus, & omnib⁹ suis numeris, & partibus expletus huius inquinati, & intolerabilis uerbi insolentia motus, nec sine cælesti mētis instinctu vociferatus est; Bos iste mutus tantū clamorem, tamq. magnā, grandem, & plenā vocem, mugitumq. edet quod undiq. exaudietur. omniū totius Europæ incolarum aures tātus, & tā dulcis sonus complebit. à Christo alienati, Orci, scelerumq. satellites timore perterriti contremuerint. satius est hominem esse sic mutum, quam loquacem; vellem, uos omnes esse Thomæ similes.

Condiscipulus quidam credens, Thomā esse obtuso ingenio, & tardo, illius misertus, vltro se offert, illi pollicetur oīa, si nō intelligeret quod interpretādo Albert⁹ explanabat. Thomas modestissim⁹ gratias egit, orauit, vt pficeret quod pollice-

pollicebatur; sibi gratissimum fore, confirmauit. legebat ille, exponebat; cui cùm multa deficerent, suggerebat Thomas, plurima addebat, & afferebat de suo, ut ex discipulo factus sit doctor: uehementer tamen rogat illũ, ne cuipiam hoc indicaret, quod in primis omnes cælatos uolebat. cum hanc consuetudinẽ tenerent, in magnam admirationem traduxit rectorem scholæ, multosq. alios, qui dũ legeret, ex occulto prope stabant, uidentes iuuenem, quem simplicem, rudem, bouem mutũ appellabant, ita doctum esse, ut omnes condiscipulos posset docere.

Ponit quidam Alberto quæstionem perdifficilem, & per obscuram, quid ageret nesciebat Albertus; eam scribit etiã Thomas, ad singula illi responsum dat, & multam in eam sententiam scribens, de re tanta respondit. chartula, in qua hæc erant, cecidit pro cubiculo, reperta ad Albertum delata est; manum agnouerunt, eius ingenium admirati sunt, eloquentiam, & diuturnum silentium. Albertus, quæ uiderat, dissimulans, iubet Thomam ad omnia, quæ erant quęsita, respondere: pudor, & modestia Thomam à respondẽdo reuocabãt; sed ne obedientiam, quod est telum acerrimũ, & asylum superiorum religiosorum, abiiciat, recusans, rogatus, & compulsus, se hoc factu rum promittit: sed ante in locum, ubi Deum pro seipso præsertim, & magistro suo precari solebat,

solebat, confugit: nam antequam quidquam fa ceret, Deum semper humi stratus precabatur; ideo omnia diuinitus ad eum delata creditur. petit à Deo; ne hoc tempore deseratur, eius au xilium implorans, quo primum ipse vsu, atq, exercitatione tiro ceteris specimen dare, & sui ipsius periculum facere inuitus cogeretur. venit disputationis dies. hic fuit ille, hic fuit lætissimus ille dies, qui diuturni silentij, quo illis temporibus Thomas partim uerecundia, partim modestia erat usus, finem attulit. hoc iucundissimo die primum lumen animi, & ingenij & consilij sui omnibus ostendit. itaque re bene gesta, victor discessit, dignitatis gradum adeptus, Bacchalaureus, ut ita dicam, inuitus & contra uoluntatem suam creatus est. Albertus, vt egregius artifex suis præclaris operibus lætabatur & ex eo die omnia sibi cum Thoma esse uoluit, res magnas, & difficiles ei committere cœpit: per Thomam omnia agebat, quæ secum habebat, Thomæ dicebat. nihil clausum pudori, & sanctimoniæ Thomæ habebat: sed omne patens, atque adeo expositum; secreto quàm sæpissime loquebantur. Et quoniam Thomæ modestiç, & obedientiæ facta est mentio, iis exemplis & aliud subiungemus; etsi conseruatis, notatisq. temporibus, in hunc locum non ueniret. Lutetia Romam uersus profectus, Bononiam ad suos Dominicanos diuertit. uersabatur ibidem alter dominicanus, ut
hospes

hoſpes receptus; hic cum petiiſſet à præfecto ſociis, priorem vocant, ut aliquem comitem præberet,qui ſe proficiſcentem circum forum quædam negotia expediturum ſectaretur; cū ſolus domo exire, religioſorum ritu,nemo ſau deret; primum quenq. obuium ſumendi ſibi licentia permittitur.eſt ei obuius Thomas,qui ſolus perambulabat in peryſtilo, & ſecum ipſe commentabatur: erat enim in meditando ve hemens. aduena Thomam adhuc non viſum notum ex ipſo non habebat: nec forſitan Bono niæ eſſe ſciebat: loquitur cum eo,prępoſiti ver bis ei dicit,ut ſe comitaretur; Thomas, etſi ut hoſpes, ut concionator, ut magiſter, vt Thomas ea lege non teneretur, continuo ſe aduenæ comitem præbuit: ſed quia fortior factus non erat, modo ualebat; tardè iter faciebat; & ille alter ſtrenuè:non poterat ita maturare, vt illum aſſequeretur; qui moram ſibi afferri, periniquo patiens animo, non potuit, quin ſæpe exclamaret, aſpere loqueretur, Thomam liberius accuſaret. Thomas patienter omnia accipiebat, ita ſe excuſabat, ut omnem culpam in ſeipſum transferret, ſe fortiorem factum nō eſſe dicebat, ut properare poſſet. fiunt ob uiá quidam utrunque cognoſcentes, qui hæc audientes, illum reprehendunt, quippe qui Thomam,non ut Thomam tractaret. ille purgabat ſe, errore captum id feciſſe dicebat, utq. ſibi ignoſceretur, poſtulauit. Thomas quamquam

id fecit

id fecit; quod illum tamen comitari instituerat, ab eo deduci non potuit, confectisq. negotiis, domum reduxit.

Ioannes Vercellensis totius societatis magister petit ab Alberto, ut iuuenem aliquem Bacchalaureum ad docendum aptissimum Lutetiam Parisiorum mitteret, quò concursus ex tota fere Europa fiebant. Albertus ex omnibus Thomam elegit, & inuitus discedentem non sine magno dolore bona precatus dimisit: qui vna cũ Hugone Dominicano Cardinale. alijq. amplissimi uiri testimonium, quod omnes magni æstimabant, quodq. apud omnes satis valebat, quid enim hoc poterat esse grauius? libenter ei dederunt, itaq. hoc & Alberti, & Hugonis, & aliorum testimonio comprobato, cõtulit se Lutetiam, ubi in eius orbis terrarũ nobilissimo, & uirorũ litteratorũ studiis, doctrinisq. deditorũ plenissimo gymnasio philosophiã & aristotelicã, & christianã, & sententiarũ libros expoluit assidua, tantaq. auditorum frequẽtia, quãta nec Plato, nec Arist. aut ullus philosophus, aut theolog⁹ ulla umquam in schola. oĩum argumenta cõfutabat, res in omni memoria oĩno inauditas excogitabat; innumerabiles, perdifficiles, & peroscuras q̃stiones afferebat, quas oẽs profligabat, & ad exitũ perducebat. florebat omni laude, & discipulorũ nobilitate; philosophorũ, & theologorũ principatum obtinuit, ceterorum summorum uiro-

rum deleuit, vitā interim ſanctisſimè agebat; quibus rebus maximam ſibi laudem peperit. in collegium Magiſtrorum, quos vocant, vigeſimum & quinctum annum agens, cooptatus eſt. eius nomen in Europa uigebat, eius uirtutem omniū mortalium fama celebrabat. omnes eum conſpicere, nedum cognoſcere cupiebant. Vrbanus IV. Pontifex max. de iis rebus certior factus, Romam eum arceſsiuit, ut de ſumma reip. chriſtianæ conſuleret ac in ampliſſimo dignitatis, & honoris gradu locaret. Clemēs IV. deinde Pontificē Neapolitanorū creare decreuerat. ipſe vero omnia hæc repudiabat; quin etiam eos obteſtabatur, atque obſecrabat, ne de iis rebus uerbum ſibi amplius facerent: nam toto animo ad ſtudia, & contemplationem incumbere uolebat, & his rebus ſeipſum ab inſtitutis ſuis & cogitationem à conſuetudine abducere potuiſſet. quapropter omne negotium fugiebat, tantum attingebat, quātum recuſare non poterat. rogans à Deo impetraſſe dicitur, ut ſibi ab omni officio, & munere vacare liceret; & ſocij nulli ſeipſum muneri præpoſitum eſſe, vellent. Dei contemplationem omnibus rebus anteponebat: nec ſeipſum interea rerum actionib. priuabat, multas ſuſcipiebat. ſacra faciebat. de religione concionabatur. fidelitatis, amoris, & prudētiæ plena cōſilia conſulentibus dabat. ſcribebat, docebat. ad diuinarū rerum cognitionē omni cura,

omniq.

omniq studio rapiebatur. in precando se à terra altius tollere visus est: & quammaxime se à corpore abstrahere, & sæpe noctē genibus nixus, vt mortuus stare: id quod quāsępisſime vsu illi uenit, vt in S. Seuerino opido Picentinornm Cāpanorum, cum esset apud sororē. nec præter eundū arbitramur, quod accidit, dū ad S. Ludouicū regem sui præfecti iussu iuisset ad cenam. cenantibus omnibus, ipse inserto sibi in os cibo, manuq. in mensam porrecta, comedere in medio cibo cessauit, qđ cum animaduertisſet, innuit Rex ipse, ne Thomas interpellaretur ab aliquo; auebat enim scire, quē exitum habitura esset res. Thomas ad horam exspectatus, tamquam arctisſimo solutus somno, mensam manu ita percusſit, ut omnes lances, omnes patinæ exciderint. Conclusum est, dicens, contra Manichæos. socius, cui Archicœnobita cognomento erat, infra Thomam accumbens, ad illum oculos uertens, intuitusq. leuiter tetigit, & excitauit, ac, Quousque, inquit, Magister mens tua in cælo defixa erit? non ne aspicis, quæ in loca veneris? apud quem regem cenes? hominum, loci, temporis rationem non habes? Thomas experrectus, stupens, & admirans hæc intuebatur, ut autem se recepit erubuit, ueniā à Rege petiuit; qui Rex eius animi magnitudinem admirans, & amans, admodum in hoc delectabatur, Thomam ad homines respectum non habere, præ Deo reges, homines oēs pro

nihilo ducere, à ceteris delectationibus deseri, & voluptatibus. interrogatus postea, se accubantium, respondit, dignitatis, temporisq. oblitum ad se redisse, & firmissima, certissimaq. argumenta excogitasse ad probandum, ad nostra confirmanda, & ad cōtraria refutanda: ad quæ Manichæi, qui eo tempore à senatu populoq. christiano alienati, homines christianos prauis opinionibus corrumpebant, ac deprauabant, respondere non poterunt. rex veritus, ne Thomas in mentis cogitatorum obliuionē veniret, suum scribam ad se accersit, ut exciperet, litterisq. mandaret omnia, quæ Thomas inter cenam dictaret. Idem Neapoli accidit, cū Cardinalis Pontificis max. ad Regem Neapolitan. legatus, ad Thomam salutatum venisset, tanquam experrectus, modo, inquit, habeo quod diu, multumq. quæsieram. deinde apud sororem in sancto Seuerino.

Erat Lutetiæ Parisiorum inter theologos de corpore Christi controuersia. res enim hæc in perdifficili, ac perobscura quæstione tunc versabatur; & hanc, & omnem dubitationem illis sustulit. multaq. alia profligauit, maximè Auerrois illud, quod exitio multis fuerat. hæc nos propria voce proponemus.

Vnum & eundem in oībus esse sensum. Ac illud Gulielmi cognomēto de sancto amore.

Non posse religiosos mendicantes manibus non laborantes, in sola studiorum contempla-

templatione saluari.

Item illud perniciosum Fraticellorum, hoc nomine uocabantur.

Sub vno capite Christi duas esse resp. Christianas, alteram carnaliũ, alteram spiritualiũ. Illud etiam Græcorum, se Romano Pōtifici subiectos esse non debere, & sexcenta alia, quæ magna ex parte scripta sunt in eius operibus.

Vrbano Pontifici max. non solum suasit, sed etiam rogando persuasit, ut dies festus anniuersarius corporis Christi nomine ageretur, eiusq. sacra conficerentur singulis annis, & ipse orationes, vel potius preces, quibus, Deũ precantes, his diebus utimur, Officium, & Missam appellamus, sapientissimis sententiis, grauibusq. uerbis ornatas eiusdem Vrbani iussu fecit, velut · Pange lingua gloriosi corporis,

Sacris sollemnis &c.

Lauda Sion seruatorem &c. itemq. cetera. Erat per idem tempus Lutetiæ sanctus Bonauentura Cardinalis, totius societatis Franciscanorum magister, hic cum ad Thomam uisendi, & salutandi caussa itaret (huius generis hõmines non fastidio. & contumacia efferuntur, non sunt superbi, non ambitiosi, non difficiles, nō morosi, non inuidi, nec indignantur pares, vel inferiores ordine inuisere) quodam tēpore pedes in Thomæ cubiculo ponēs, vidit eũ scribentem, & nuncium Dei, qui calamũ tenebat. b. Bonauētura admiratione obstupefact⁹,

Qua de re, inquit, Thoma mi ſcribis? de corpore Chriſti, reſpondit. ex quo B. Bonauentura, qui de eadem re ſcribebat (vtrique enim hæc prouincia, & de hac re negotium datum erat à Pontifice max.) facile intellexit, Thomæ ſcripta ſanctiora, Deo iucundiora, gratioraq. fore, quàm ſua; quæ poſtea præ B. Thomæ ſcriptis contempſit, nec cum illis rectisſimè confe renda ſcilicet, putauit, quamquam optima, ſan ctaq. ſunt. Complures præterea religioſi teſtes viderunt ſępe, & perſpexerunt oculis columbam in Thomæ humero inſidere, & roſtrum in aurem inſerere. Rediit Neapolim, vrgebaturq. à Pontifice max. vt, quæ de hoc ſollemni ſacrificio ſcripſerat, emitteret. librum editurus, Chriſto ſubieciſſe ſcripta, & precibus ab eo petiiſſe dicitur; ut, ſi quippiam mali in ſuis ſcriptis reperiretur, ipſe Chriſtus ſignum per aliquam rē daret, ut ipſe Thomas corrigeret non ambitione, anteaquam ederet, neue alicui nocerent, cō ſcinderet, & cōbureret. hæc dicens reſponſum hoc ab imagine Chriſti in crucem ſublati tulit. BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Quam ergo mercedem accipies? cui ille, non aliam domine, niſi teipſum. imago illa ipſa adhuc Neapoli ad ædem S. Dominici manet, & pro palā collocata in ſacrario dominorum Ruborum ſancte ueneratur unà cum brachio ipſius S. Thomæ, & cum libro quodam eius manu ſcripto in librum Dionyſij Areopagitæ de diui-

diuinis nominibus super hac re scriptum. ubi innumerabilibus diuinis beneficiis Deus homines complexus est. Idem fecerat Thomas, cum D. Pauli epistolas luculenter, recte, ornate interpretatione sua explicauisset, à quo precatus est, ut ostenderet, qui sensus eius esset, nũ recte sit eius sententiam interpretatus, ac si suę explanationes adhibitæ exirent, bene, atq. feliciter id eueniret Christianus. Petrus, & Paulus forma Thomę ex imagine nota se nocte ostendentes, dixerunt. Thoma recte hoc, & sane luculẽter; cetera vero misteria, quæ nos instinctu afflatuq. diuino enunciauimus, cum istis corporis custodiis liberatus ad nos uenies, tibi aperientur. hinc, & ex virginitate Doctor angelicus cognomen hoc tempore Thomas habet. Dum Romæ in æde diui Petri in suggesto consisteret, & de religione concionaretur, octauo die, postquam Christum seipsum ab inferis excitasse, dies festus anniuersarius agitur; mulier, quæ sanguinis fluxione laborabat, eius fimbrias attigit, & sana facta est. Ex his, & aliis quã plurimis miralis, quæ in hoc libello scribi non poterunt, uiuus, & mortuus clarus fuit.

In labore patientissimus, vigilans, diligens, prudens, attentus fuit. tempus frustra numquã consumpsit; legebat, contemplabatur, docebat, scribebat, precabatur, dormiensq. quod alicui prodigiis simile videbitur, dictare solebat. illum non quies, non remissio delectabat. om

nem suæ uitæ cursum in laborē corporis, atq. in animi contentione confecit. omnia respuebat, & pro nihilo putabat. corporis uoluptate non capiebatur:sua quippe præstantia dignam non esse, intelligebat. Eius socius quotidie ei legebat librum illum, sanctorum patrum uitas inscriptum; maiori inde in Deum amore inflammari, ardentioriq. studio de Deo cogitādi incendi, interrogatus dicebat.

Anteaquam concionem uel docturus, uel de religione christiana concionaturus ascenderet, primùm sacra facere solebat, deinde quod omnes uidebant, sacrificio, quod ab altero fiebat, præsens aderat lacrymando, dū supplicia à Christo perlata contemplaretur: deinde tertio sacerdoti immolāti ministrabat, idq. singulis faciebat diebus. aborabat semper cōtra ualetudinis cōmodum, animi uires, & corporis infirmitatē ostendēs, ut inedia, exercitationibus, ac in tātis, tot, assiduis, & quotidianis laborib. se exercendo ualetudinē amiserit. Dolores corporis quamuis magnos facile, patienter, tolerāter, ac sedatè patiebatur. cū uenæ sibi inciderentur, uel crus perforaretur (tentabatur enim eo ualetudinis genere, ut his medicaminibus curari cogeretur) vel medicorum crudelitati membrum aliud præberet, Deum contemplari incipiebat, suum animum quam maxime à corpore abstrahebat, & membrum illud interim non mouebat, nec digitum

digitum quidem extendebat, nec voces mittebat, non secus, ac si mēbro illō captus esset, omni doloris sensu careret, nullusq. esset sensus in corpore.

Quodam tempore dictans quædam socio, & manu candelam tenens, cælestia contemplari cœpit, exusta candela, digiti ignem cepere, & nihil sentiebat. Thomæ animus semper præsēs, erat, acer, magnus, fortis, & humana omnia cō temnens, atque negligens. Aduehebat ex Italia ad Galliam naui, & ita omnes in alto tempestate magna iactabantur, vt omnium viuendi spes extenuata euanuerit; Thomas vnus numquam debilitatus animos demisit, nec occultè gemuit, sed firmo, stabili, maximoq. animo, signo tantum crucis se muniebat, dicens; Deus in carnem venit, Deus pro nobis mortuus est. idem dicebat, cùm terræmotus fiebāt, vel cū tonabat. tonitrua, & fulminum iactus minimè extimescens. Hostis omnium hominum impetus, qui in eum inuadebat, utq. Thomæ imponeret, in figura hominis, vel belluę, ac multis positis sub oculis simulacris, per summam fraudem, & malitiam semper aliquid fingebat, Thomas sępe fregit. Victor nec efferebat se, nec victus debilitabatur, hoc incredibili fuit animi robore, & magnitudine, hac virtutis, probitatis indole, & continentiæ; ad suæ verò animæ pericula animo prompto, & hilari. vir prudentissimus, facillimus, lenissimus, mitissimus,

huma-

humanifsimus, & modeftifsimus. dignitatis gradum afsequi, vel in altiorem locum afcendere, honoribus decorari, aut magiftratus fibi committi, numquam voluit, nec focietati præeſſe; quod à Deo ei conceſſum, ſupra ſcripſim⁹. in magiſtrorum collegium non tam voluntarius, libentiq. animo cooptatus eſt, quàm inuitus, contra voluntatem ſuam, & coactus à præfecto, ac neceſſari ò, vt docere, diſputare, & cócionari poſſet: nam ceteris hæc poteſtas non dabatur. viuebat cum omnibus quietè, & liberè; agendo ſeuerè & grauiter omnia, moribus ſuauiſsimis, moderatis, religioſiſsimis, & integerrimis. erat in eo ſumma generis, integritatis, induſtriæ, ceterorumq. ornamentorum omnium dignitas. magna fuit in gratia apud omnes homines, tanta apud Deum, & multa reſponſa ab eo tulerit, & mortuæ ſorori reditũ in cælum confecerit, cum ſeipſam per quieté Thomæ commendauiſſet, & eo in loco detineri dixiſſet, vbi animæ infectæ ſupplicio expiantur.

¶ Fuit excellenti, tantaq. memoria, ut, quæ ſemel adoleſcens, vel raptim, & curſim legerit, multis poſt annis recordaretur, & in ſuis libris adſcriberet: quæq. ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdẽ redderet. ingenio acerrimo, maximo, & ſingulari; ut nihil ei obſcurum viſum ſit: omnia, quæ per ſeipſe legebat, ſe dicebat percepiſſe: id quod viri Deo, non ſi-

bi tribuebat. eius oratio erat mitis, dulcis, suauis, copiosa: aureum ipse Thomas orationis flumen fundebat. In concionando oratio erat incompta, non illustrata, neque exornata, nulla concinnitas elaborata, omni insigni remoto ornatu: sententias non concinnas, neqne venustas, sed graues, & seueras exquirebat. ad ei⁹ conciones undiq. summa cum exspectatione concurrebatur; erantq. ita multi, ut eos amplissimum templum capere non posset. ex eius cõcionib. fructus mirabilis, & immortalis semp capiebatur. homines retinebantur, reuocabantur, & in gratiam cum Deo reducebantur. Iudæi Christianam religionem suscipiebãt. quod euenit Molariæ die Natali Iesu Christi. hominum cœtus tenebat, mentes alliciebat, non dicendo, nec benigna oratione, nec procemijs vtendo, sed breui, apertisime, & planisimè suam de religione Christiana mẽtem interpretando; quidque sit optimum factu explicabat; quæq. Dei voluntas. In philosophia Peripateticorum rationem, atque sectam secutus, eius acerrimus fuit defensor. Aristotelem suum, quẽ scientisimè, planisimè, atque apertisimè interpretatus est, ad Christianam veritatem reuocare uoluit, ut eum inuitum in suam sententiã discesionem facere, coegerit; & Dominicani suo iure dicere audeant. Vbi Thomas non loquitur, mutus est Aristoteles. Fuit scriptor luculentus, ut temporibus illis, & in suo genere

pollicebatur; sibi gratissimum fore, confirmauit. legebat ille, exponebat; cui cum multa deficerent, suggerebat Thomas, plurima addebat, & afferebat de suo, ut ex discipulo factus sit doctor: uehementer tamen rogat illũ, ne cuipiam hoc indicaret, quod in primis omnes cælatos uolebat. cum hanc consuetudinẽ tenerent, in magnam admirationem traduxit rectorem scholæ, multosq. alios, qui dũ legeret, ex occulto prope stabant, uidentes iuuenem, quem simplicem, rudem, bouem mutũ appellabant, ita doctum esse, ut omnes condiscipulos posset docere.

Ponit quidam Alberto quæstionem perdifficilem, & per obscuram, quid ageret nesciebat Albertus; eam scribit etiã Thomas, ad singula illi responsum dat, & multam in eam sententiam scribens, de re tanta respondit. chartula, in qua hæc erant, cecidit pro cubiculo, reperta ad Albertum delata est; manum agnouerunt; eius ingenium admirati sunt, eloquentiam, & diuturnum silentium. Albertus, quæ uiderat, dissimulans, iubet Thomam ad omnia, quæ erant quęsita, respondere: pudor, & modestia Thomam à respondẽdo reuocabãt; sed ne obedientiam, quod est telum acerrimũ, & asylum superiorum religiosorum, abiiciat, recusans, rogatus, & compulsus, se hoc facturum promittit: sed ante in locum, ubi Deum pro seipso præsertim, & magistro suo precari solebat,

ſolebat, confugit: nam antequam quidquam fa ceret, Deum ſemper humi ſtratus precabatur; ideo omnia diuinitus ad eum delata creditur. petit à Deo; ne hoc tempore deſeratur, eius auxilium implorans, quo primum ipſe vſu, atq; exercitatione tiro ceteris ſpecimen dare, & ſui ipſius periculum facere inuitus cogeretur. venit diſputationis dies. hic fuit ille, hic fuit lætiſſimus ille dies, qui diuturni ſilentij, quo illis temporibus Thomas partim uerecundia, partim modeſtia erat uſus, finem attulit. hoc iucundisſimo die primum lumen animi, & ingenij & conſilij ſui omnibus oſtendit. itaque re bene geſta, victor diſcesſit, dignitatis gradum adeptus, Bacchalaureus, ut ita dicam, inuitus & contra uoluntatem ſuam creatus eſt. Albertus, vt egregius artifex ſuis præclaris operibus lætabatur & ex eo die omnia ſibi cum Thoma eſſe uoluit, res magnas, & difficiles ei committere cœpit: per Thomam omnia agebat, quæ ſecum habebat, Thomæ dicebat. nihil clauſum pudori, & ſanctimoniæ Thomæ habebat: ſed omne patens, atque adeo expoſitum; ſecreto quàm ſæpisſime loquebantur. Et quoniam Thomæ modeſtię, & obedientiæ facta eſt mentio, iis exemplis & aliud ſubiungemus; etſi conſeruatis, notatiſq. temporibus, in hunc locum non ueniret. Lutetia Romam uerſus profectus, Bononiam ad ſuos Dominicanos diuertit. uerſabatur ibidem alter dominicanus, ut

hoſpes

hoſpes receptus; hic cum petiiſſet à præfecto ſociis, priorem vocant, ut aliquem comitem præberet, qui ſe proficiſcentem circum forum quædam negotia expediturum ſectaretur; cũ ſolus domo exire, religioſorum ritu, nemo ſau deret; primum quenq. obuium ſumendi ſibi licentia permittitur. eſt ei obuius Thomas, qui ſolus perambulabat in peryſtilo, & ſecum ipſe commentabatur: erat enim in meditando ve hemens. aduena Thomam adhuc non viſum notum ex ipſo non habebat: nec forſitan Bononiæ eſſe ſciebat: loquitur cum eo, prępoſiti ver bis ei dicit, ut ſe comitaretur, Thomas, etſi ut hoſpes, ut concionator, ut magiſter, vt Thomas ea lege non teneretur, continuo ſe aduenæ comitem præbuit: ſed quia fortior factus non erat, modo ualebat; tardè iter faciebat; & ille alter ſtrenuè: non poterat ita maturare, vt illum aſſequeretur; qui moram ſibi afferri, periniquo patiens animo, non potuit, quin ſæpe exclamaret, aſpere loqueretur, Thomam liberius accuſaret. Thomas patienter omnia accipiebat, ita ſe excuſabat, ut omnem culpam in ſeipſum transferret, ſe fortiorem factum nõ eſſe dicebat, ut properare poſſet. fiunt ob uiá quidam utrunque cognoſcentes, qui hæc audientes, illum reprehendunt, quippe qui Thomam, non ut Thomam tractaret. ille purgabat ſe, errore captum id feciſſe dicebat, utq. ſibi ignoſceretur, poſtulauit. Thomas quamquam

id fecit

id fecit; quod illum tamen comitari instituerat, ab eo deduci non potuit, confectisq. negotiis, domum reduxit.

Ioannes Vercellensis totius societatis magister petit ab Alberto ut iuuenem aliquem Bacchalaureum ad docendum aptissimum Lutetiam Parisiorum mitteret, quò concursus ex tota fere Europa fiebant. Albertus ex omnibus Thomam elegit, & inuitus discedentem non sine magno dolore bona precatus dimisit: qui vna cũ Hugone Dominicano Cardinale, alijq. amplissimi uiri testimonium, quod omnes magni æstimabant, quodq. apud omnes satis valebat, quid enim hoc poterat esse grauius? libenter ei dederunt, itaq. hoc & Alberti, & Hugonis, & aliorum testimonio comprobato, cõtulit se Lutetiam, ubi in eius orbis terrarũ nobilissimo, & uirorũ litteratorũ studiis, doctrinisq. deditorũ plenissimo gymnasio philosophiã & aristotelicã, & christianã, & sententiarũ libros expoluit assidua, tantaq. auditorum frequẽtia, quãta nec Plato, nec Arist. aut ullus philosophus, aut theolog⁹ ulla umquam in schola. oĩum argumenta cõfutabat, res in omni memoria oĩno inauditas excogitabat; innumerabiles, perdifficiles, & peroscuras q̃stiones afferebat, quas oẽs profligabat, & ad exitũ perducebat. florebat omni laude, & discipulorũ nobilitate; philosophorũ, & theologorũ principatum obtinuit, ceterorum summorum uiro-

rum deleuit, vitā interim sanctissimè agebat; quibus rebus maximam sibi laudem peperit. in collegium Magistrorum, quos vocant, vigesimum & quinctum annum agens, cooptatus est. eius nomen in Europa uigebat, eius uirtutem omniū mortalium fama celebrabat. omnes eum conspicere, nedum cognoscere cupiebant. Vrbanus IV. Pontifex max. de iis rebus certior factus, Romam eum arcessiuit, ut de summa reip. christianæ consuleret ac in amplissimo dignitatis, & honoris gradu locaret. Clemēs IV. deinde Pontificē Neapolitanorū creare decreuerat. ipse vero omnia hæc repudiabat; quin etiam eos obtestabatur, atque obsecrabat, ne de iis rebus uerbum sibi amplius facerent: nam toto animo ad studia, & contemplationem incumbere uolebat, & his rebus seipsum ab institutis suis & cogitationem à consuetudine abducere potuisset. quapropter omne negotium fugiebat, tantum attingebat, quātum recusare non poterat. rogans à Deo impetrasse dicitur, ut sibi ab omni officio, & munere vacare liceret; & socij nulli seipsum muneri præpositum esse, vellent. Dei contemplationem omnibus rebus anteponebat: nec seipsum interea rerum actionib. priuabat, multas suscipiebat. sacra faciebat. de religione concionabatur. fidelitatis, amoris, & prudētiæ plena cōsilia consulentibus dabat. scribebat, docebat. ad diuinarū rerum cognitionē omni cura,

omniq.

omniq studio rapiebatur. in precando se à ter ra altius tollere visus est: & quammaxime se à corpore abstrahere, & sæpe noctẽ genibus nixus, vt mortuus stare: id quod quãsępissime vsu illi uenit, vt in S. Seuerino opido Picentinornm Cãpanorum, cum esset apud sororẽ. nec præter eundũ arbitramur, quod accidit, dũ ad S. Ludo uicũ regem sui præfecti iussu iuisset ad cenam. cenantibus omnibus, ipse inserto sibi in os cibo, manuq. in mensam porrecta, comedere in medio cibo cessauit, qđ cum animaduertisset, innuit Rex ipse, ne Thomas interpellaretur ab aliquo; auebat enim scire, quẽ exitum habitura esset res. Thomas ad horam exspectatus, tamquam arctissimo solutus somno, mensam manu ita percussit, ut omnes lances, omnes patinæ exciderint: Conclusum est, dicens, contra Manichæos. socius, cui Archicœnobita cognomento erat, infra Thomam accumbens, ad illum oculos uertens, intuitusq. leuiter tetigit, & excitauit, ac, Quousque, inquit, Magister mens tua in cælo defixa erit? non ne aspicis, quæ in loca veneris? apud quem regem cenes? hominum, loci, temporis rationem non habes? Thomas experrectus, stupens, & admirans hæc intuebatur, ut autem se recepit erubuit, ueniã à Rege petiuit; qui Rex eius animi magnitudineni admirans, & amans, admodum in hoc delectabatur, Thomam ad homines respectum non habere, præ Deo reges, homines oẽs pro

nihilo ducere, à ceteris delectationibus deseri, & voluptatibus. interrogatus postea, se accubantium, respondit, dignitatis, temporisq. oblitum ad se rediisse, & firmissima, certissimaq. argumenta excogitasse ad probandum, ad nostra confirmanda, & ad cõtraria refutanda: ad quæ Manichæi, qui eo tempore à senatu populoq. christiano alienati, homines christianos prauis opinionibus corrumpebant, ac deprauabant, respondere non poterunt. rex veritus, ne Thomas in mentis cogitatorum obliuioné veniret, suum scribam ad se accersit, ut exciperet, litterisq. mandaret omnia, quæ Thomas inter cenam dictaret. Idem Neapoli accidit, cũ Cardinalis Pontificis max. ad Regem Neapolitan. legatus, ad Thomam salutatum venisset, tamquam experrectus, modo, inquit, habeo quod diu, multumq. quæsieram. deinde apud sororem in sancto Seuerino.

Erat Lutetiæ Parisiorum inter theologos de corpore Christi controuersia. res enim hæc in perdifficili, ac perobscura quæstione tunc versabatur; & hanc, & omnem dubitationem illis sustulit. multaq. alia profligauit, maximè Auerrois illud, quod exitio multis fuerat. hæc nos propria voce proponemus.

Vnum & eundem in oĩbus esse sensum. Ac illud Gulielmi cognomẽto de sancto amore. Non posse religiosos mendicantes manibus non laborantes, in sola studiorum contempla-

templatione saluari.

Item illud perniciosum Fraticellorum, hoc nomine uocabantur.

Sub vno capite Christi duas esse resp. Christianas, alteram carnaliũ, alteram spiritualiũ. Illud etiam Græcorum, se Romano Põtifici subiectos esse non debere, & sexcenta alia, quæ magna ex parte scripta sunt in eius operibus.

Vrbano Pontifici max. non solum suasit, sed etiam rogando persuasit, ut dies festus anniuersarius corporis Christi nomine ageretur, eiusq. sacra conficerentur singulis annis, & ipse orationes, vel potius preces, quibus, Deũ precantes, his diebus utimur, Officium, & Missam appellamus, sapientissimis sententiis, grauibusq. uerbis ornatas eiusdem Vrbani iussu fecit, velut · Pange lingua gloriosi corporis,

Sacris sollemnis &c.

Lauda Sion seruatorem &c. itemq. cetera.

Erat per idem tempus Lutetiæ sanctus Bonauentura Cardinalis, totius societatis Franciscanorum magister, hic cum ad Thomam uisendi, & salutandi caussa itaret (huius generis hõmines non fastidio. & contumacia efferuntur, non sunt superbi, non ambitiosi, non difficiles, nõ morosi, non inuidi, nec indignantur pares, vel inferiores ordine inuisere) quodam tẽpore pedes in Thomæ cubiculo ponẽs, vidit eũ scribentem, & nuncium Dei, qui calamũ tenebat. b. Bonauẽtura admiratione obstupefactꝰ,

Qua de re, inquit, Thoma mi ſcribis? de corpore Christi, reſpondit. ex quo B. Bonauentura, qui de eadem re ſcribebat (vtrique enim hæc prouincia, & de hac re negotium datum erat à Pontifice max.) facile intellexit, Thomæ ſcripta ſanctiora, Deo iucundiora, gratioraq. fore, quàm ſua; quæ poſtea præ B. Thomæ ſcriptis contempſit, nec cum illis rectiſsimè conferendà ſcilicet, putauit, quamquam optima, ſanctaq. ſunt. Complures præterea religioſi teſtes viderunt ſępe, & perſpexerunt oculis columbam in Thomæ humero inſidere, & roſtrum in aurem inſerere. Rediit Neapolim, vrgebaturq. à Pontifice max. vt, quæ de hoc ſollemni ſacrificio ſcripſerat, emitteret. librum editurus, Chriſto ſubiecíſſe ſcripta, & precibus ab eo petiiſſe dicitur; ut, ſi quippiam mali in ſuis ſcriptis reperiretur, ipſe Chriſtus ſignum per aliquam rē daret, ut ipſę Thomas corrigeret non ambitione, anteaquam ederet, neue alicui nocerent, cō ſcinderet, & cōbureret. hæc dicens reſponſum hoc ab imagine Chriſti in crucem ſublati tulit. BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Quam ergo mercedem accipies? cui ille, non aliam domine, niſi teipſum.. imago illa ipſa adhuc Neapoli ad ædem S. Dominici manet, & pro palā collocata in ſacrario dominorum Ruborum ſancte ueneratur unà cum brachio ipſius S. Thomæ, & cum libro quodam eius manu ſcripto in librum Dionyſij Areopagitæ de diui-

diuinis nominibus super hac re scriptum. ubi innumerabilibus diuinis beneficiis Deus homines complexus est. Idem fecerat Thomas, cum D. Pauli epistolas luculenter, recte, ornate interpretatione sua explicauisset, à quo precatus est, ut ostenderet, qui sensus eius esset, nũ recte sit eius sententiam interpretatus, ac si suę explanationes adhibitæ exirent, bene, atq. feliciter id eueniret Christianus. Petrus, & Paulus forma Thomę ex imagine nota se nocte ostendentes, dixerunt. Thoma recte hoc, & sane luculẽter; cetera vero misteria, quæ nos instinctu afflatuq diuino enunciauimus, cum istis corporis custodiis liberatus ad nos uenies, tibi aperientur. hinc, & ex virginitate Doctor angelicus cognomen hoc tempore Thomas habet. Dum Romæ in æde diui Petri in suggesto consisteret, & de religione concionaretur, octauo die, postquam Christum seipsum ab inferis excitasse, dies festus anniuersarius agitur; mulier, quæ sanguinis fluxione laborabat, eius fimbrias attigit, & sana facta est. Ex his, & aliis quã plurimis miralis, quæ in hoc libello scribi non poterunt, uiuus, & mortuus clarus fuit.

In labore patientissimus, vigilans, diligens, prudens, attentus fuit. tempus frustra numquã consumpsit; legebat, contemplabatur, docebat, scribebat, precabatur, dormiensq. quod alicui prodigiis simile videbitur, dictare solebat. illum non quies, non remissio delectabat. om

nem ſuæ uitæ curſum in laborē corporis, atq. in animi contentione confecit. omnia reſpuebat, & pro nihilo putabat. corporis uoluptate non capiebatur: ſua quippe præſtantia dignam non eſſe, intelligebat. Eius ſocius quotidie ei legebat librum illum, ſanctorum patrum uitas inſcriptum; maiori inde in Deum amore inflammari, ardentioriq. ſtudio de Deo cogitā di incendi, interrogatus dicebat.

Anteaquam concionem uel docturus, uel de religione christiana concionaturus aſcenderet, primùm ſacra facere ſolebat, deinde quod omnes videbant, ſacrificio, quod ab altero fiebat, præſens aderat lacrymando, dū ſupplicia à Chriſto perlata contemplaretur: dein de tertio ſacerdoti immolāti miniſtrabat, idq. ſingulis faciebat diebus. aborabat ſemper cō tra ualetudinis cōmodum, animi vires, & corporis infirmitatē oſtendēs, ut inedia, exercitationibus, ac in tātis, tot, aſſiduis, & quotidianis laborib. ſe exercendo ualetudinē amiſerit. Dolores corporis quamuis magnos facile, patienter, tolerāter, ac ſedatè patiebatur. cū venæ ſibi inciderentur, uel crus perforaretur (tentabatur enim eo valetudinis genere, ut his medicaminibus curari cogeretur) vel medicorum crudelitati membrum aliud præberet, Deum contemplari incipiebat, ſuum animum quam maxime à corpore abſtrahebat, & membrum illud interim non mouebat, nec digitum

digitum quidem extendebat, nec voces mittebat, non secus, ac si mēbro illó captus esset, omni doloris sensu careret, nullusq. esset sensus in corpore.

Quodam tempore dictans quædam socio, & manu candelam tenens, cælestia contemplari cœpit, exusta candela, digiti ignem cepere, & nihil sentiebat. Thomæ animus semper præsēs, erat, acer, magnus, fortis, & humana omnia cō temnens, atque negligens. Aduehebat̄ ex Italia ad Galliam naui, & ita omnes in alto tempestate magna iactabantur, vt omnium viuendi spes extenuata euanuerit; Thomas vnus numquam debilitatus animos demisit, nec occultè gemuit, sed firmo, stabili, maximoq. animo, signo tantum crucis se muniebat, dicens; Deus in carnem venit, Deus pro nobis mortuus est. idem dicebat, cùm terræmotus fiebāt, vel cū tonabat. tonitrua, & fulminum iactus minimè extimescens. Hostis omnium hominum impetus, qui in eum inuadebat, utq. Thomæ imponeret, in figura hominis, vel belluę, ac multis positis sub oculis simulacris, per summam fraudem, & malitiam semper aliquid fingebat, Thomas sępe fregit. Victor nec efferebat se, nec victus debilitabatur, hoc incredibili fuit animi robore, & magnitudine, hac virtutis, probitatis indole, & continentiæ; ad suæ verò animæ pericula animo prompto, & hilari. vir prudentissimus, facillimus, lenissimus, mitissimus, huma-

bi tribuebat. eius oratio erat mitis, dulcis, suauis, copiosa: aureum ipse Thomas orationis flumen fundebat. In concionando oratio erat incompta, non illustrata, neque exornata, nulla concinnitas elaborata, omni insigni remoto ornatu: sententias non concinnas, neqne venustas, sed graues, & seueras exquirebat. ad ei⁹ conciones undiq. summa cum exspectatione concurrebatur; erantq. ita multi, ut eos amplissimum templum capere non posset. ex eius cōcionib. fructus mirabilis, & immortalis semp capiebatur. homines retinebantur, reuocabantur, & in gratiam cum Deo reducebantur. Iudæi Christianam religionem suscipiebāt. quod euenit Molariæ die Natali Iesu Christi. hominum cœtus tenebat, mentes alliciebat, non dicendo, nec benigna oratione, nec procœmijs vtendo, sed breui, apertissime, & planissimè suam de religione Christiana mētem interpretando; quidque sit optimum factu explicabat; quæq. Dei voluntas. In philosophia Peripateticorum rationem, atque sectam secutus, eius acerrimus fuit defensor. Aristotelem suum, quē scientissimè, planissimè, atque apertissimè interpretatus est, ad Christianam veritatem reuocare uoluit, ut eum inuitum in suam sententiā discessionem facere, coegerit; & Dominicani suo iure dicere audeant. Vbi Thomas non loquitur, mutus est Aristoteles. Fuit scriptor luculentus, ut temporibus illis, & in suo genere

perfectus

perfectus.doctrinam,quam attigit,& tractauit, omnem illustrauit: docens omnia dilucidiora, & ampliora facit. credibile non est, quantum scripserit,& luculētè omnia.nihil fuisse somni, credam; tot enim de philosophia Aristotelica, & christiana scripsit libros, ut singulos enumerare, nimium longum esset: percensebimus tamen multos, quos memoria possumus repetere, inscriptionesq. illas ipsas adscribemus eisdem propè verbis, ipsarumq. inscriptionum voce proponemus.

1 Summa Theologię in quattuor partes distributa. rursus,singulæ in quattuor volumina:quod opus sanè diuinum confecit,& senex emendauit.

2 Opus in quattuor sententiarum libros.

3 Opus contra Gentiles in quattuor libros distributum,luculentum, ac rationū nouitate, & acumine profundum. in quo mirè ostēdit,& quid ex proprio ingenio in illud contulerit,& quid orationibus, & precibus,inq. mentis abstractibus impetrauerit. Vbi Christianæ fidei veritas, & excellentia demonstratur. quod op⁹ dum scriberet, frequenter se à corpore abstrahebat.

4 Commentaria in quattuor Euangelia.

5 Expositio ad litterā in quattuor Euāgelia.

6 Expositio in Euangelium Ioannis, quæ postilla uocatur.

7 Com-

7 Commentarij in epiſtolas Pauli Apoſtoli.
8 In Apocalypſim comment.
9 In Dauidis Pſalmos magna ex parte.
10 In Iſaiam.
11 In Iob ad litteram.
12 In Hieremiam. in Trenos.
13 In Cantica canticorum.
14 In Dionyſium de diuinis nominibus.
15 In Boethum de Hebdomadib. & Trinitate
16 De fide, ac ſpe ad Rainal. Priuern. diſcipulum, & comitem ſuum.
17 Theologiæ compendium.
18 Contra impugnantes Dei cultum, ac religionem, aduerſus magiſtros Pariſienſes ad Alex. IV. Pont. Max.
19 De operationibus occultis, ad militem quendam.
20 Quando, & quib. in reb. uti licet aſtrorũ iudicio, ad eundem.
21 De rationibus fidei ad cantorem Antiochenſem.
22 Aduerſus doctrinam retrahentium à religione, contra Geraldos.
23 De perfectione ſpiritus vitæ aduerſus Geraldum.
24 De ſortibus, ad Iacobum Tonangenſem.
25 De forma abſolutionis eius, quæ Pænitentia ſacramentalis dicitur, ad Magiſtrum ordinis.

26 Contra errores Græcorum ad Vrbanum Pontif. max.
27 De regimine Iudæorum.
28 Expositio in primam Decretalem de fide catholica, & summa trinitate, ad Archidiaconum Tudertinum.
29 Super secundam Damnamus, ad eundem.
30 De Articulis fidei, & sacramentis ecclesiæ ad Archiepiscopum Panormitanum.
31 Officium, & Missam, quę ad sollemnitatem corporis Christi pertinent.
32 De Aeternitate mundi aduersus murmurantes.
33 De vnitate intellectus aduersus Auerroistas Parisienses.
34 De regno, ad Regem Cypri.
35 De quæstionib. disputatis partes tres; vnā de fide à se Parisijs disputata: altera de potentia Dei, in Italia disputata. Tertia de virtutibus, Parisijs disputata.
36 Quæstiones de Malo.
37 Vndecim quolibet disputata.
38 De Spiritalib. creaturis.
39 De Principijs Naturæ ad Siluestrum Cœnobitam.
40 De declaratione xxxv. quæstionum ad lectorem Venetum.
41 Opus xliij. quæstionum ad Magistrum ordinis.
42 Declaratio sex quæstionum, ad lectorem Bisuntinum.

43 De motu cordis ad Philippum magiſtrum Theologiæ.
44 De cõmiſtione elementorum ad eundem.
45 De ſubſtantijs ſeparatis ad Rainaldũ Priu. diſcipulum,& Comitem ſuum.
46 De Ente,ac Eſſentia ad fratres ſuos.
47 De Fallacijs. In Ariſtotelem,hoc eſt
48 In librum Perihermenias
49 In librum Poſteriorum.
50 In librum Phyſicorum
51 In librum primum de Generatione.
52 In libros de cælo.
53 In libros Meteororum.
54 In ſecundum,& tertium de Anima.
55 In librum de ſenſu,ac ſenſato.
56 In librum de Memoria,& Reminiſcentia.
57 In librum de cauſſis.
58 In Metaphyſicam
59 In Politicam
60 In libros Ethicorum.
61 Opuſcula de anima multa alia.

Opuſcula quamplurima tã de moralibus, quã de naturalibus quæſtionibus.

Hos libros,& alios multos Thomam ſcripſiſſe, accepimus; plures certè ſcripſiſſet,ſi immatura ei mors non accidiſſet: quinquageſimum agebat annum, cùm Neapoli ſocios, ciueſq. docens,atque erudiens, à Gregorio X. Pontifice max. in concilium, quod Lugdunum conuocabatur, proficiſci coactus, cum febri diſceſsit,

ingressusq́. iter, graui mortiferoq́. morbo Magentiæ afficiebatur, ex quo nō conualuit, nam grauius, periculosiusq́. ægrotans, iter suum cōuertit in Cisterciensem conuentum Fossæ nouæ non longè à Terracina opidum, Appij forū ab antiquis, vt nonnullis placet, vocatum. Magister illius societatis, omnesq. religiosi viri obuiam Thomæ prodierunt, qui in illorum domū introiens, Hæc, inquit, requies mea in sæculū sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. introductusq́. in præsidis cubiculum, ibi cubans, ac grauissimè ægrotans, à collegio Cisterciensi rogatus, Canticæ canticorum, quam vocant, explanationem, cum ipse non scriberet propter morbum, syllabatim prope dicam dictauit. societas tota erat in officio, peramanter, ac perofficiosè illum obseruabat; tantum enitebatur, ut neque opera, neq; labore Thomæ deesset; cōmodè ministrabat, officio, pietate satisfaciebat. hæc videns Thomas sæpe dicebat, vnde hoc mihi, vt serui Dei sic seruiant homini. iam iter illud subitum, & longum instabat, viaticū quæsiuit, sine quo nemo in cælum perueniet. quamlongissimè potuit, sacerdoti illud supremo vitæ die afferenti obuiam processit, interrogatusq́. à sacerdote, cum uiaticum, hoc est, corpus Christi sibi porrigebat, quid de illo crederet, humi stratus, adhibita reuerentia quadā lacrymans, Credo, inquit, quod scripsi: scripsi quod credo. de hoc, ceterisq́. mysterijs verasen

tio

tio cum rep. Christiana, cuius rector est Romanus Pontifex. quod si male de illa locutus sum, vel scripsi, illius imperio, & potestati, sub cuius obedientia nunc ex hac vita migro, meos libros subijcio, ut illos prospiciat, corrigat, tum denique edentur. plura deinde de hac re verba fecit: & ex tempore dixit, quæ prætereunda, ac relinquenda arbitrati non sumus.
Adoro te deuotè latens veritas. quæ sub his figuris verè latitas. Tibi cor meum se totũ subijcit. Quia te contẽplans totũ deficit. Visus, gustus, tactus in te fallitur. Sed auditu solo creditur. Credo quidquid dixit Dei filius. Nihil veri⁹ hoc verbo veritatis. In cruce latebat sola deitas. Sed hic latet simul & humanitas. Ambo tamen credens, atq; confitens. Peto quod petiuit latro pœnitẽs. Plagas, sicut Thomas nõ intueor. Deum tamẽ meũ te esse confiteor. Fac me tibi semper magis credere. In te spẽ habere, te diligere. O memoriale mortis domini. Panis ver⁹ vitã præstãs homini. Præsta meæ menti de te viuere. Et te semp illi dulce sapere. Pie pellicane Iesu dñe. Me immundum munda tuo sanguine. Cui⁹ vna stilla saluum facere. Totum mundum posset ab omni scelere. Iesu pie, quẽ nunc velatum aspicio. Oro fiat illud, quod tam sitio. Vt te reuelata cernens facie, Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen. Deinde.
Sumo te precium redemptionis animæ meæ.
Sumo te viaticum peregrinatiõis animæ meæ.

Pro cuius amore studui, vigilaui, & laboraui. Te prædicaui, te docui. Nihil vmquam contra te dixi. sed si quid male dixi, ignorans dixi. Nec sum in sensu meo pertinax. Sed si male locutus de hoc sacramento, & alijs, totum relinquo correctioni Sanctæ Romanæ ecclesiæ, in cuius obedientia nunc ex hac vita migro.

¶ Deinde cum oleo sancto vngeretur, ministri partes sibi sumens ad singula sacerdoti respondebat, & in deo oculos, mentem, & orationem defigens, ipsius vi morbi cōsumptus ex hac vita excessit, vt ipse sæpe prædixerat, primo diluculo Non. Mart. anno post natum Christum CIↃCCLXIV. Regnante Rodolpho. pontificatu Gregorij X. anno IV. Neapoli.

Deus paullo ante multis portentis propinquam Thomę mortem denunciauit: nā eo Neapoli ægrotante, stellam è cælo delapsam in eius lectulo constitit, ut multi se uidisse cōfessi sūt; & multas alias multis in locis. quendam è societate Cisterciensi, dum Deum in templo precaretur, arctus somnus complexus est; viditq. stellam è cælo in lectulum Thomæ decidere, deinde duas stellas eam in cælum reuertētem comitatas. Stella illa, quam Græci cometā, nostri crinitam vocant, magnæ Christianæ reip. calamitatis prænuncia, tres dies, ante eius mortem suprà Fossam nouam visa est, quo mortuo, occidit. supremo eius vitę die beatus Albertus magnus, domi suæ accumbens, de improuiso lacry-

lacrymantibus oculis, multis præsentibus, atq; audientibus: frater, inquit, noster Thomas Aquinus, mihi filij loco, orbis terrarum lux clarissima hodie migrauit in cælum. Paulo Aquilano Dominicano viro probo, & iusto, qui suis Neapoli præerat, visi sunt in quiete ante lucem S. Petrus Christi discipulus, & Paulus gentium doctor venire ad Thomam ipsius diui Pauli epistolas socijs in suggesto exponẽtem, & multa inter se loqui, de epistolarum præsertim diui Pauli interpretatione à Thoma facta: deinde Paulus Thomam de suggesto descendentẽ manu prendere, & secum è ludo educere videbatur, nunc, dicens, nobiscum veni, educemus te in locum, in quo Deus omnium rerum obscuras, & necessarias intelligentias, quas nunc quasi adumbratas animo, ac mente concipis, tibi enodabit. Aquilanus, qui minimè dormiebat, & de infirmissima Thomæ valetudine certior iam factus erat, hæc videns, vociferari cœpit: Succurrite patres, succurrite socij, eripitur nobis Thomas, eripitur. post litteris allatis, idem dies, & hora constitit, Thomam primo diluculo è vita discessisse. Rainaldus Priuernas discipulus, comes, omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum Thomæ socius, spectator omnium rerum ab eo gestarum, dictarũ testis religiosus, quiq. Thomam penitus nouerat, eum, & omnes eius mot⁹ obseruauerat, concionem funebrem de Thoma in eius funere ha-
 buit,

buit, in qua de omnibus fere rebus Thomæ gestis strictim dixit, & dicta collegit, ex hac à nobis lecta, vnà cum ipsius Thomæ vita à Ioanne Antonio Flaminio Forocorneliensi, eruditissimo, ac diligentissimo viro conscripta, multa memoria digna nos excepisse fatemur. Thomæ funesti funeris exequias omnes finitimi, atque vicini populi prosecuti sunt; fuit & Franciscus quidam Franciscanus Terracin. Pontifex.

Ioannes Ferentinas societatis | Cisterciens. Fossæ nouæ magister cæcus: Medicus quidã decem annos ex pedibus laborans, & ipse se curare non poterat; atque alij complures, mortui, ægroti; manci, membris capti, ac debiles nullis remedijs in tumulo beati Thomæ sanati sunt. Mul⁹, quo Thomas vehi solebat, tres dies nihil gustauit, mortuo Thoma, lorum abscidit, in tẽplum cucurrit, & ante eius cadauer mortuus concidit.

¶ Fuit Thomas forma egregia, specie liberali, facie eximia, vultu hilari, & seuero. habitus oris, atque vultus erat opimus, color suauis inter aquilum, & album. oculi venusti. nasus non aduncus, nec curuatus, sed paullò erectior, ipse non bene capillatus; inerat in eo caluitium, sed in turpitudinem aliquam, aut deformitaté corporis non venit: erat enim minima ex parte, neque ex dimidio, sed ex ea, quæ abradi solet. fuit corporis mollitudine, statura celsa, procera, atque recta. corpore solido, viribus excel-

excellens. Habuit duas sorores, altera dominata est in Sancto Seuerino,& eius filius Marsici Lucanorum; altera fuit virgo sacerdos sanctæ Mariæ, & fani,ut supra diximus, antistita. Habuit duos fratres minores natu, verè christianos, Landulphum,& Reginaldum,qui Pontificis max.sectam,atque imperium sequentes, ille ab Imperatore in exsiliũ eiectus, hic in carcere conditus mortuus est.

¶ Legimus amplius L. miracula beati Thomæ post mortem edita,de quibus Ioannes 22. Pontifex max. in Gallia audiens, Pontificibus Neapolitanorum,& Viterbiens.negotiũ dedit; ut Neapolim,& Fossam nouam petẽtes, nimis diligenter,studioseq.in hæc miracula,& in beatum Thomam inquirerent,quid egerit, quemadmodum vixerit.ij omnia,& miracula,& quę nos supra scripsimus,manifesta,& vera inueniẽtes(res enim erat clara, & omnium sermone celebrata. multi aram,& res diuinas tenentes, iurati religiosè testimonium dixerunt, partim sanitatem,partim vitam à beato Thoma sibidatam testati sunt) perspecta,explorata, certissima, quæq. firma tenebãt perscripserũt, omnia ad Pont.max.in Galliam detulerunt,quodq. ẽt in seipsis experti erant:nam cũ vterq; febri iactaretur, valetudinisq. infirmitate teneretur, quominus domo exire, officium, & munus sibi à Pontifice maximo datum exequi posset: ab omnibus desperati, cùm Beato Thomæ

se commendauerant, salutem ab eo acceperũt. ¶Theutones, Galli multis annis familiariter Thoma vsi, idem dicentes, hæc confirmabant. Pontifex max. ex grauissimis viris, his acceptis, Cardinalium, Antistitumq. collegium de omnibus rebus docuit (pompa eo die tanta, taliq. re digna) & per illos in scriptis sanxit, vt Thomas Aquinus in sanctorum confessorum, quos vocant, ordinem recipiatur. fuit hoc Kal. Sex. M. CCCXXIIII. anno VII. Ioannis Pontificatus regnã te Ludouico IV.

Corpus sancti Thomæ anno Fundos, inde anno MCCCLXIX. Pontificatus Vrbani V. anno vij. Tolosam translatum est, quod de eiusdem Pontificis sententia à Dominicanis factũ esse legitur. Manus dextra cum brachio à Cisterciensi conuentu eius sorori iam donata erat, & Capuam deportata, nunc Neapoli apud Dominicanos vnà cum illa imagine, ex qua Christus cum Thoma locutus est, & libro eius manu scripto, piè sanctéq. colitur. alterũ brachium Lutetiam deportatum esse dicitur.

Post mortem S. Thomæ non defuerunt qui verborum contumelijs Thomã lacerarent, contra eius scripta dicentes, scribentesq. multa. qđ ne facerent, à Pontificibus max. interdictũ est: sed quò barbari isti, semidocti, sophistæ, vulturij, homines ex hara producti, non ex schola, dum contortis quibusdam, ac minutis conclusiunculis, nec ad sensum permanentibus efficere vo-

te volunt, ut consilio acumine, ingenio, doctrina, optimis artibus, sapientia, omni virtute pluris sint, si Deo placet, Thoma Aquino nostro, dẽtata charta rem agunt, petulanter in Thomam inuehuntur, religionem Christianam minimè in suis animis versari, mera scelera loqui, uehemẽter peccare, scelere se abstringi animaduertant, & intelligant; exponemus sermones à tribus Pontificibus max. de Thoma nostro habitos, & illos minima ex parte apponemus. arrogantis est, & insipientis, ne dicam scelerati, & impij, pluris se putare; quàm Pontifices max. sed, eorum mitigare animos, difficillimum est, qui Thomæ non hominum more; sed accusatorio, peruerso, & uitioso inuident, rodunt, vellicant, inimico, & maledico dente carpunt. litteras, credo, ad scelus perficiendum didicerunt. Vrbanus V. cũ S. Thomæ corpus Tolosam trãsferri voluit, omnia huius diuini hominis sua sententia comprobauit, & de Cardinalium, ceterorumq. P. C. consilio elogium recitãdo, ita pronunciauit. Tantum à veritate unumquenq; recessurum, quantùm à diui Thomæ Aquini sententia recederet. Innocentius Pontifex maximus concionem de Sancto Thoma scripsit, cuius caput est. Ecce plusquàm Salamon; huius concionis exemplum, minima ex parte, hoc ẽ. Huius doctoris sapientia præ ceteris, excepta canonica, habet proprietatẽ verborum, modum dicendorum, veritatem sentẽtia-

 rum,

rum,ita vt numquam qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse,& qui eum impugnauit, semper fuerit de veritate suspectus. Pius denique V.Pont.max. sanctissimus,iustissimusq.vir,hoc anno M.D.LXVII. mense Martio de Cardinalium sententia constituit,vt S. Thomas Aquinus sacris anniuersarijs apud Christianos eadem religione,qua singuli Christi discipuli, colatur, & feriæ eo die habeantur, & Quinctus reip. Christianæ Doctor vocetur.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomæ Aquini confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operationes fœcundas. da nobis quæsumus, & quæ docuit intellecta conspicere, & quæ egit imitatione complere. Per dom.

FINIS.

DAVIDIS. ROMAEI

S. FRANCISCVS PAVLANVS. RELIGIONIS MINIMORVM. AVCTOR

AD. GASPARVM. FOSSVM. NOBILEM CONSENTINVM. EX. SOCIETATE & familia sancti Francisci Paulani Pontificem Rheginorum

Præfatio.



INCREBVIT iam illa consuetudo, & mordicus à scriptoribus fere omnibus tenetur, ut edituri librum de qua uis re ad aliquem uirum vel litteris, doctrina, uel prudentia, moribus, & virtute pręstanten scriptum emittant; munusq. suum non nisi in alicuius uiri nomine apparere uelint. hac nos consuetudine, institutoq. adducti uitam sancti Francisci de Paula, sumpto ab ipsa patria cognomine, quo ipse vtebatur; & vulgus appellat; nos vero latinè Franciscum Paulanum, huius inquā sancti viri tuæ integerrime Gaspare religionis auctoris vitā à nobis conscriptam, non nisi ad te mittere voluimus: tu enim & eo munere solus dignus occurristi

occurriſti;& gratum ac iucundum tibi fore id
arbitrabamur. tu in eadem diœceſi natus es,
ille Paulæ,tu in Conſentino,ita à pueritia om-
nibus litteris deditus, & ſummè omnium do
ctrinarum ſtudioſus fuiſti,ſuſceptaq́. S. Fran-
ciſci noſtri religione,atque in eius collegium
cooptatus,in eius familia,eius more,apud eius
ſocios educat⁹,philoſophus,ac theologus egre
gius factus,integritatis laudem conſecutus, ut
Pontifex max.te Rheginorum Pontificem fece
rit. itaque ad talem uirum S. Franciſcus no-
ſter latinis litteris à nobis illuſtratus uenit. Hi
ſunt fructus,quos Calabria noſtra omnium bo
narum rerum antiquisſima parens, atque edu
catrix ex ſeſe edere ſolet. habemus iam com-
plures alios Calabros ad ſanctorum numerum
adſcriptos,xi. præſertim uiros, qui pro ſanctiſ
ſima religione noſtra mortem ceperunt. id eſt
ſeptem ſocios S. Franciſci Aſiſinatis, & quat-
tuor qui Rufiani humati uenerantur, quos om
nes,Deo adiuuante,conſcribemus. Interim ue-
ro prudentisſime Gaſpare hilarè parum hoc
munus accipe,quo S.Franciſci noſtri rerum ali
qua ex parte memoriā breuiter ſumus comple
xi. legas uelim, ut uitam talis, tantiq́. uiri,quo
nihil dulcius,nihil formoſius, nihil præſtantius
nihil ſanctius,nihil Deo amicius habemus. de
hoc apud poetam quendam ita ſcriptum me
legiſſe memini.

Felix illa dies, quæ nostris attulit oris
Hoc decus, hoc lumen nostro, qua protulit orbi,
Ille mella die paßim iustißima tellus
Effudit, florumq. nouos per prata colores
Sponte dedit, suauisq. nouos spirauit odores. &c.

Vale. & me tui cupidum, amantissimũ, atq. obseruantissimum in fidem. & amicitiam tuã recipias, & cum Deum, apud quem gratiosus es, precaris, mei fac teneas memoriam, illum exorabis, ut sanctum Franciscum nostrum sequi possimus. Kalend. Ianuar. cIↃ. IↃlxxi. Neapoli.

S. FRANCISCVS PAVLANVS. RELIGIOSORVM. MINIMORVM AVCTOR.



ERITO, Iure optimo, omnibus diis, hominibusq. plaudantib', Thomam Aquinum Franciscus Paulanus insequetur: cum eorũ uterq. apertas, directas, & simplices monstet ambas bene uiuendi uias, quas persequi debeamus, & quibus ad id, quod uolumus peruenire possimus, in Dei scilicet familiaritatem, & consuetudinẽ nos insinuemus: longissimè enim diuersas bene uiuendi rationes ab incunabulis, tenerisq. vnguiculis suscipiens, in his semper constans, has explicans, dans hominibus, & ostendens, & rectè, atque ex ordine omnia faciens, Dei sententiam in oculis omnium, mentibusq. defigat. ad alterutram igitur nos ipsos adiungamus; toto animo. omniq. studio in eam incũbamus, utraque salutaris nobis est. ab horum moribus de Deo existimare, liquidius de illius sensu iudicare poterimus: nõ delectum aliquẽ diuitis, & pauperis; nobilis, & ignobis, docti,

vel

vel indocti Deum habere consueuisse: sed ex omnibus homines secum, & apud se sine ulla exceptione esse voluisse. Quid prò Deus tam dissimile fuit, quàm Th. Aquinus, & Franc. Paulanus? alter summo loco natus, alter terræ filius; ille ditissimus, hic inanissimus; illinc rerum humanarum, atque diuinarum scientia, hinc rerum omnium inscitia; hic dux, & quasi signifer, ille comes, & sectator; ille paruit, hic præfuit; nulla ergo in ijs inter ipsos similitudo (uterque fortasse Calaber) nisi ambo uiri boni, religione, sanctitate, & moribus similes, concordi nunc amicitia, & caritate inter se cõplectuntur; familiarissimè, iucundissimè, ac coniunctissimè uiuentes, quietè, & eleganter cum Deo ætatem agunt: ubi cum placata, & tranquilla sint omnia, summa placidissima, pia, æternaq. pace utuntur; opibus, gratia, summoq. bono Dei fruuntur, tranquillo, & quieto animo. scripsimus iam de Thoma Aquino, nunc de Francisco Paulano breuius, quàm res postulat. sed quando res tuæ Paulane sanctissime nostris monumentis commendãtur, ingenio, eruditione, doctrina esse cuperem, nec honoris siti, nec gloriæ desiderio: uerùm, ut omnia omnibus, paria paribus responderent. equidem non dibitanter, sed fidenter, & quampossum maxima uoce dicam, nec nostra, nec patrum nostrorum memoria uel plura, uel maiora, uel euidentiora

miracula

miracula extitisse, in quibus minima ex parte numerandis,percensendisq. historiæ leges nos neglecturos nō esse,persuasum habemus. ignes mortui, cæci, surdi, muti, ægri, manci, membris capti summum Dei in te Paulane amorem, tuam gloriosam uictoriam, quæue multis testibus fecisti testantur. te igitur misericors Paulane vehementer rogo, ut faueas, sis auctor, socius, & adiutor in omnibus mihi orationis ornamenti, eruditionis, consilij, ingenij experti, præbeasq. te quæso miseriarum, salutisq. meæ deprecatorem: nam si prospero tuæ gratiæ flatu non utar, ad optatos exitus peruehi non potero, itaque, te adiuuante, ad rem.

PAula opidum est Bruttiorum, seu potius Calabrorum: nam, ut diximus in vita S. Euphebij, proprio nomine hoc tempore Calabri sunt, qui vocabātur olim Bruttij, & Magna Græcia: qui tum Calabri erant, nunc Apuli sunt, & Salentini. opidum hoc in litore positum abest à Consentia iter vnius diei, citra Tēpsam stadia LXXX. urbs & natura, & situ in primis nobilis; sed nobilissima ex ortu S. Frācisci de Paula sui ciuis, q ex hac ipsa Paula patria sua in qua ortus, procreatus, educatus, ætatem fere egit, cognomen sibi delegit patriæ magis, quā generis cognomine uti, & Franciscus de Paula uocari voluit. nos, quia vt vulgus appellat, barbarum est, Franciscum Paulanum, quod dulcius videtur, post hac appellabimus.

Fuit

Fuit in hoc opido Iacobus quidam Martolilla vir humilis, & obscurus humilium parentum Consentinorum satu ortus, expers littera rum, neq. ullas omnino noscebat litteras, nulla arte, uel humili, aut sordida, nullis opibus, nullis facultatibus, sine censu, sine honore: sed egestate, singulari bonitate, modestia virtute, & religione christiana prӕditus. habebat ex animi sui sententia in matrimonium Viennam Fuscaldi Calabrorum natam. ambo verè christiani, egestati, & cupiditatibus, quibus cete ri seruiunt, imperantes, corporis labore, & sudore egestatem sustentabant, in diem uiuendo. Hӕc, hӕc, quam ij, tum uiuebant, nobis videtur uita. hoc est è natura, coniunctissimè, quietè, bene, beatèq. uiuere. liberos non habebant, & magno horum desiderio tenebantur. hoc enim natura commune ommium animantium est, ut procreandi libidinem habeāt: Deus prӕterea, qni antequam mundum faceret. Francifcum Paulanum uiderat, & eius natalem diem iudicio, non casu in hoc tempus contulerat; ut exoptatum, atq. exspectatum in hunc mundum eum venire, demonstraret, filiorum desiderio Iacobum, & Viennam affecit. uota igitur sancto Frācisco Asisinati fecerunt, si filius sibi aliquando gigneretur, se eius nomine infantem filium nuncupaturos, & aliqua in loca adultum missuros annum eius societati ministraturum. Deus à sancto Francisco Asisi-

nate

nate exoratus, se illorum preces, & uota audisse, satis signi dedit: nam nocte fere media, cũ Franciscus Paulanus gignebatur: homo quidam pernecessarius, & propinquus ipsius Iacobi, qui uerbo nostrati compater dicitur, ad operam mercenariam Iacobum uocaturus venerat, cum incensas faces nocturno tempore supra eius tectũ uidit; Deus hoc signum dando, lumen animi infantis pueri, qui eo in loco tum generabatur Paulanis omnibus ostendebat; quod Iacobus propinquo demonstrauit, cum id narraretur. Tandem aliquando Ioanne Neapolitano xxiij. Pontifice max. regnante Sigismundo Germano. Neapoli vero Ioanna ij. In Gallia . . . . . anno Christi MCCCCXVI. natus est Franciscus Paulanus noster Paulæ in ædibus paternis, atq. auitis, ostenduntur & hodie ibi eius incunabula; nam illarum ędium parietes modo stant, & manent, quos eius societas postea ad sempiternam pietatis memoriam consecrauit, & religiosas fecit, & singulis hoc tempore ibi diebus ex ea societate aliquis Deo immolat. Iacobus propter summam inopiam litteras filium non docuit, nec ei magistrum quærere potuit. Salutationem tã tùm ad Mariam Virginẽ, & Precationem, quã Christus discipulis tradidit. hæc Franciscus edidicit, hæc in ore semper habuit. Deus fortasse recentibus planum facere voluit, hominem sine litteris de illa posse perpetua uita cogitare,

ac sanctissimè uiuere. à pueritia sua pure,& caste Deum uenerari dicidit. erat enim puerili specie, senili prudentia, ætate puer, grauitate senex; ut præter ætatem puerile nihil haberet, cum pueriliter nihil vmquam fecerit. Parentes vota nuncupata soluturi, Franciscum filium xj. fere annorum in sanctum Marcum Calabrorũ urbem duxerunt ad societatem S. Francisci Assisinatis, qui anno post cum rediisset, haberetq. in animo Assisium, hoc est S. Francisci sepulcrũ, & ea loca, quæ is viuus incoluit, inuisere, ita cum parentibus locutus dicitur; se iam vota soluisse, quibus ij pro seipso nuncupatis tenebantur. rursum, absurdum haud esse, si vota, quibus ipse obligatus esset, illi cognosceret: sibi S. Francisci Assisinatis sepulcrum uisendũ esse, id quod se facturũ uouerat. obsecrat eos precibus, per religionem etiam Christianam, per seipsos denique, ut se Assisium deducant. satis filio fecerunt, eius studio; & cupiditati morem gesserunt. rediit tandem Assisio Paulam ornatus modestia, iustitia, ceterisq; uirtutibus, pecunia, atq. omnium humanarum rerum contemptione, & illa humilitate, quam alij despiciunt, ualde uituperant, & mortem illi anteponunt. has virtutes S. Franciscus Assisinas habuit, has suis tradidit, has legauit. reuersus igitur Paulam suis parentibus dixit, ut sibi integrum esset, atq; emancipato per illos liceret, sic uiuere, ut uellet, libertatem sibi da-

rent, ut quod uellet, faceret. itaq. annos natus xiij. bona parentum venia vnicus parentum filius, ne se aliquo scelere, aut humanis uitiis, aut contagione aliqua contaminaret, in solitudinem se contulit. cum neque vulgares, neque reconditas nosceret litteras, quæ ad percipiendam, colēdamq. uirtutem adiuuare uidentur. O ab omni laude felicissimum, fortunatum, florentissimum, atq. beatissimum Franc. Paulanum; siquidem omnium hostium uictorem, castissimum, religiosum, integrū, simplicem, sanctum, sincerum, inuiolatum virginem in cælum se recepit. eius vitæ splendor maculis numquam est aspersus. In solitudine tantum cibi, & potionis adhibebat, ut reficerētur uires, depelleretur fames, & sitis. pascebatur agrestium arborum pomis, asperis, crudisq. herbis. pernoctabat in niue, se in montibus uri patiebatur. multùm, immo semper Deum precabatur, per paucas horas dormiebat. Locus ille, quem incoluit, piè hoc tempore, in vasta solitudine de uiis itineribus non longe à Paula uisitur. Diuino deinde consilio tēplum prope Paulā stadia fere IV. strenuè instituit ædificare. ciues, populi, finitimi, & uicini, neque opera, neque labore ei defuerunt, eius sanctimonia, moribus, miraculis allecti. oēs adiumēto erant, materiā, lapides, calcē, cæmenta conuehebant. ipse in agendo, & labore sustinendo princeps erat. ipse fundamenta iaciebat, ipse lapides cōportabat,

bat,nec se tantis laboribus frangebat, licet ine dia consumptus videretur. Positis fundamentis,ecce repente uir quidam S. Francisci Assisiatis indutus vestitu, grauissimis Paulanum reprehendit uerbis, ædiculam diruit,ut grandiorem cõstrueretur, mãdauit:qua designata, Paulanus se tantam impensam posse facere, & tantas sibi uires datas negauit: tum vir ille,Deum rerum omnium præpotentem illi non esse defuturum, demolitusq. parietes (quod impiis credibile non uidetur)è cõspectu euolauit.hũc b. Franciscũ Assisiatem fuisse dicebat Paulanꝰ. Postridie eius diei nobilis quidã Consentinus magnũ auri, & argenti pondus oblatus largitꝰ est Paulano, quo ad tẽpli ædificationẽ uteretur:

Fornax, in qua templi calx ardebat, rimis actis, factoq; uitio,corruebat, fornacis curatores, & operarij homines remedium nullum inuenientes,ad Paulani opẽ confugiunt,eos sine cura de fornace iubet esse, illius se curam, & operã suscipere, uocatis ad prandium,ac profectis, in suã fronte,atq. pectore crucẽ signans, audacter in ardentem fornacem introiuit,quã refecta,& reconcinnata, nihil ab igne passus, egressus est, uidentibus operariis hominibus, qui à prandio redeuntes,ex occulto interuenerant. Vocauerat ad cenam Antonium quendã, quem ad ædem ædificandam, ut architectum adhibere uolebat,imposito coquendarũ fabarum onere socio(carne cum nũquam uesceretur)

tur, cum architecto loquebatur. socius ollam aquæ, & fabarum impletam in foco posuit, igni non admoto, & illinc foris quæsiturus profect' inferre oblitus est. cum cenandi tempus præterijsse, diceret Paulanus, & fabas coctas. Architectus, qui ollæ fuerat è regione, eam intués religiosorum ridebat negligentiam, & rei necessariæ tantam vituperabat incuriam. quærit Paulanus, quid esset, cur rideret, cui cum se patefecisset Antonius, subridens, & risum uix tenens, manus ait, laua, & cena. accedentes, aquam feruentem, fabasq. coctas uiderunt; licet ignis admotus non fuisset. quod admirationem mouit Antonio, & nonnullis, qui intererant, & præsentes uidebãt, idq. diuinitus prouisum prædicabatur. Dũ fundamenta agerentur, duo homines fodiẽtes in foueam inciderunt, quos ruina oppressos, terraq. obrutos ex uiuorũ numero exturbatos esse, infra mortuos amãdatos, eodẽq. tempore sepultos, oẽs sibi persuaserant. aliquot post horas, iussit Paulanus erui, & uiui reperti sunt ambo. id quod beati Fr. Paulani, quem in cadẽdo inuocauerant, ope factũ esse, dicebãt. quare b. Fr. Paulanus in ore, in sermone, atq. in animo omniũ esse cœpit, & eo tẽpore oẽs ægroti, infirmi, exangues, eneruati, errore, mẽte, oculis, auribus mẽbris capti ad eũ vel concurrebãt, vel deducebantur, quibus, omnib' salutẽ à Deo suo rogatu impetrabat: inter quos fuerunt Marcellus Cardilla mancus, ma-

nibus,pedibusq.captus,ac debilis;& Vidus Lipāthus ambo nobiles Cōsentini,& Elephātiasi laborantes,& languēti uoce absoni,& Iacobus Tarsia qui in Bellomōte dominabatur, & per diu multos annos habebat in crure vomicam, quā medici sanare nō potuerāt. ij, quæ Paulanus gerebat,cū constāti fama,omniūq.sermone celebrari acciperēt,nec pedibus ire posset, equis aduecti ad illū perrexerūt,a quo salute sibi data,domū pedibus itinere cōfecto ualidi reuerterūt. quidā etiam cognatū suum mutū,& elinguē semper habitū ad eū duxerunt: quos cum tersecū oēs Iesu vna voce cōclamare iussisset, mutus cū iis clamare cœpit:& hoc modo posthac semper locutus est. Antonius Catalanus ciuis Paulanus habebat Iuliam filiam grandem, cæcā natā:hanc b. Franciscus crucē in eius oculis signando sanauit. Sacerdotē res diuinas facere uolentē,præsente,atq. inspectāte b.Francisco,& populo,extincta lychnorū luce, minister ut faces accēderet missus morabat:Fran.cū lōgiorem morā,& tarditatē sacrificio afferri nollet,funiculū à lāpade religatū manu prehendit, & lychnus solus accēsus est.id quodin tēplo palā in ore,atq. oculis oīum gestū est. Ioanna uidua eo tēpore in Cōsētino vnicū habebat filiū Fran.nomine,a medicis de sanitate,atq.spe deturbatū:sacerdotes peccata cōfessū oleo sancto,augustoq.vnctū,deo cōmendauerāt, suoq. munere functi erāt.mater uidēs filiū moribun-

dum,

dũ nõ fundos non bona relinquentem, tres tantũmodo filias grandes, & nubiles, quarũ misellarũ & matrimonio, & famæ seruiendum erat, nec ipsa dotẽ cõficere poterat, ad b. Franciscũ, quem piè colebat, animo, & cogitatione se totã conuertit, si salus filio daretur, se illius uouit religionem suscepturam in ueſtitu tertiæ regulæ (sic loquuntur) qua in sententia semper constabit. illico eius filius nulla medicina ad salutem reductus eſt, uixitq. annos xxx. poſtquam hæc facta sunt. Mansit septem annis Paterni, quod eſt opidum in Calabria, siue potius Consentini. cũ ibi templum conſtrueret, homo, qui diuturna, moleſtaq. oculorũ lippitudine, illos fere amiserat, ad eum accesſit, opem petens: signo crucis, & aqua sancta, quam nonnulli luſtralem uocant, sanatus eſt. Venatores hominẽ in montibus inuentum, qui intolerabili frigore mortuus, pruina, & frigore obriguerat, in Paternum opidum sepeliẽdum referebant. Paulanus illum videns, misericordia fractus, surge, inquit, & abi: mortuus ad b. Franc. Paulani verba obediens, ab inferis excitatus reuixit, ac surgens, adhibito cibo, & potione, refectisq. uirib⁹ domũ pedibus suis reuersus eſt incolumis.

Habuit comitẽ, & rerum gẽſtarum religiosum teſtem, uirum Calabrum, Paterni ortum, Thomam nomine, quem poſterius ex Calabria in Galliã decedens præposuit prouinciæ. hic vnus sui auctoris, magiſtri, & ducis mores imitando

tádo ſanctisſimè uixit quamquam in ſancto rũ numerum aggregatus non eſt; ex multis tamen miraculis nobile,& clarũ eius corpus Paterni ſepultũ auguſtè uenerantur,& beatũ appel lant. Habebat in animo Meſſanã cũ ſocio Thoma nauigare, ſocietatẽ, credo,uiſitaturus.erat in litore nauarchus peregrinus cũ nautis cõplu ribus, & nauicula: hos non ſolum rogabat, & hortabatur, ſed etiã obſecrabat,ut gratis ſe in Siciliam,quò ipſi nautæ nauigare dicebantur, traiicerent.nautæ qui b. Franciſcũ non dum ui ſum,cognitũ non habebãt,certum preciũ,& na uiculę mercedẽ conſtituebant. Franciſc⁹ ſe ſol uendo nõ eſſe dicebat,cũ religioſi fratres eſsẽt, pecuniã non tangere,ne dum tractare,ſed aliena uiuere miſericordia.nauicularij humanitatis inopes, & inurbani, ne dicam impios,quid nobis,inquiebãt,cũ iſta ſumma religione ſan ctimoniaq́.veſtra? nauis gratis nobis nõ conſti tit. Paulanus, quanti hæc ab illis fierẽt, perſpiciẽs,veſtro reſpondit, proſpero rectoq́. curſu nauigatote, illi portu ſoluẽtes, plenisſimis na uigabãt velis. Paulanus vero penulã ſuã in mari ſternit, comitis pro uelis pandit, erectoq́. bacillo pro malo tranſibãt mare. nautæ in alto vi dẽtes Paulanũ cũ ſocio ſic prouehi,& ſe, & ſuã nauiculã pręterire,maximè admirati,quiſnam homo non admiraretur? eos ad ſe arceſſebãt, gratuito,&nõ grauatè in naui ſua vehẽdos,ſuæ ſtultitię peccati veniã petẽtes.noluit Paulanus;

ſed commodè nauigans, & ſecundisſimo vẽto curſum,iuuãte Deo,tenens,in portum venit, ſalutatiſq. ſociis,naui Paulã reuerſus eſt. Erat eo tẽpore in ea uicinitate concionator Antonius ex ſocietate S.Franciſci Aſsiſinatis,quę minorũ dicitur,uir bonus,& inter ſuos in primis doctus, ac in clamãdo bene robuſtus, qui inſigniter impudẽs Paulano non paullũ in hoc inuidẽs,eum in inuidiã rapiebat:in omnibus cõcionibus, quas propedicã quotidie habebat, occaſionẽ captabat petulanter in Paulanũ inuehendi,& cauſſam,& tẽpus arripiebat. veluti ſi in religione Chriſtiana plurimũ ſermonis nõ eſſet,ſatiſq. materiæ, quam concionatores tractarẽt,& in qua verſarentur: itaq. obtrectabat, honorẽ debitũ non illi, ſed Deo detrahebat, illius exiſtimationẽ violabat,apertè ludificabat, atq. calũniabatur,cauillabatur,periocũ eum irridebat.pudet,inquiebat,me illius Fran Paulani.humilis prò Chriſte homunculus ſine ingenio,ſine litteris,ſimplex,antiquus, idiota, rerũ omnium imperitus, rudis, & ignarus, durisſimoq. ore nõ erubeſcit,& de Deo loqui ſe non pudet.deberet eſſe in eo aliquis,ſi nõ famæ pudor,at ſupplicij timor:ego uero illius longe diſſimilis, de hac re uerba in publicũ facturus pudore à dicendo, & ingenua quadã timiditate refugio, Franciſcus iſte ueſter, ſe omnibus ſanitatem daturũ promittit,dat interim uerba. hæc omnia herbis,cantionibus, lineis,& ſignis

ſe

ſe factũrum dicit, in eo ſe iactat; nec præſtat qđ ꝓmittit.nimirũ facere dicitur quę nec Chriſtus ipſe, cũ eſſet in terris, faciebat. ad hęc per ridiculum dicebat omnibus incommodo aliquo affectis, ut ad Franciſcum Paulanum ſe reciperent.hæc ſermone omnium ad b. Paulanũ perlata nulla animi perturbatione commouęrunt. & quoniam eſt aliquorum labes quædã, & macula aliorum virtuti, laudi, & gloriæ maximè inuidere,non animaduertens, excellentũ virtutem hominum imitatione, non inuidia dignam eſſe:non defuerunt complures,& ex eius ſocietate plerique, qui eum in b.Paulanum incitauerunt,eumq.ut poterant,hortabantur, & ad id,quod poſtea fecit, detruxere. Sed haud ex eorum ſententia confecta res eſt. nam venit tandem ipſe Antonius Paulam, ad b.Franciſcũ, verborum contumelijs eum lacerat, inertem, languidum, indoctum eſſe, clamat, & ignauiã illi obijcit. Paulanus probris omnibus,& maledictis vexatus,patientiſsimus, & conſtantiſſimus fuit; nec clamoribus his, aſperiſq. verbis commotus, aut perturbatus eſt: ſed æquo animo iniuriam paſſus, leniter, clementer, & bene homini accepto, manu prehenſo,in cubiculum introducto carbones candentes in manꝰ ſuas ſumptos porrexit,&,calefias,inquit,hoc igni;nam frigidus es,atque in caritatis feruore, feruentiſsima re friges. Deũ rerũ oĩm præpotẽtẽ nõ credis. Antonius mẽte,& oculis hæc con

ſpi

ſpiciens, & Paulanum perbene Chriſtianè lo-
qui, & candentes carbones in manibus habe-
re, hærebat, quò ſe verteret non habebat: pro-
ſtrauit ſe, & abiecit ad eius pedes, & lacrymãs
illos complexus, atque oſculatus miſericordiã
captabat; & fracto, humiliq. animo ei ſupplica-
uit, & peccatum ſuum confeſſus, ſeipſum ac-
cuſauit, & errato veniam petiuit, ſi quid, dicẽs,
in te peccaui, ac potius quoniã peccaui, igno-
ſce; in meipſum peccaui uehementius; nec priꝰ
hinc ſurgam, quàm hoc facias: bona, incolu-
mitatem, & ſalutem preceris. Paulanus homi-
nem complexus, & oſculatus, ac bene ei pre-
catus dimiſit; qui ita tandem diſceſsit, ut repẽ
te è ueſtigio ex Antonio factus ſit homo, nec ad
ſe, nec ad mores ſuos redijt: ſed mentem, volũ
tatem, ſententiam, dicendi conſuetudinem,
ſeq. mutauit, ad ſummi viri dignitatem ſuam
voluntatem aggregauit, quocunque tempore
& concionabatur, & loquebatur, quod oppu-
gnauerat, & euertere inceperat, defendebat,
& probabat. omnibus concionibus Paulanum
ſua eruditione, ſuaq. doctrina in cælum ſum-
mis laudibus efferebat, laudem, & gloriam il-
lius & in concionibus, & in omni ſermone ce-
lebrabat, laudabat, Paulanum in tantis tene-
bris ſuæ inſcitiæ, & erroris, quo mens ſua imbu
ta fuerat, clariſsimũ ſibi lumen prætuliſſe, præ
dicabat. Audijt de ijs Paulus II. pont. max.
atque, ut uigilans, prudens, prouiduſq. cuſtos
qui,

qui gregis suæ fidei, & potestati à Deo cōmissi, & crediti curam sustinens, vnū de suis, quos cubicularios vocant, ad Pyrrhum Consentinorum pontificem allegat, ut curiosè de Frācisco Paulano inquirerent, rumores Calabros exciperent, & celeriter ad se referret. Pyrrhus cognita caussa, quamobrem ad se cubicularius aduenerit, se de b Frācisco Paulano, respondit, inuestigasse diligēter, de quo omnia sancta, christiana, vera, germana, sincera, solida, expressa, & certiora, quàm quæ apud Sagram: & clara, celeberrima, atque notissima toto regno; se bene doctum de re loqui: cum ipse in hac cura versatus, & in exquirendo percuriosus, quæ ad se pertinerent, scire voluisse. rogauit tandem co hortatusq; est eum, ut ipse Paulam iret, cui ad iunget comitē, qui illò perducet ipsum, & multum adiuuabit. oculis suis ipse cubicularius visurus fuisset, spectator, & testis certissimus erit. Paulanus rerum suarum gestarum, innocētiæ, virtutis, & sanctitatis optimū, grauissimū, & conscium testem, & laudatorem habebit. Paulanus interim hæc socio prædixit, virum de pontificis max. cubicularijs ad se venire; quare obuiam ei prodierunt. visum cubiculariū proprio nomine appellauit, & amicissimè inter se consalutarunt. cubicularius in hoc maximè admiratus, rogat de b. Francisco Paulano, recte Dei benignitate apud eum esse, respondit, seq. eum in illius cubiculum deducturū pollicetur.

ambu

ambulabant colloquentes in via de horrida, & arida vita, quam Franciſcus Paulanus agere dicebatur; deq́.miraculis,atque alijs rebus incredibilibus,quæ de illo Romæ,& omnibus in locis commemorabantur.Paulanus modeſt⁹ cognitus eſt,omnia Deo tribuens : cum domum intraſſent,ſe illū ipſum Paulanū, de quo colloquebātur,eſſe indicauit. cubicularius eius manus oſculari volebat, omni ſtudio id ab eo cōtendebat, Paulanus non eſt paſſus, immo hoc idem ipſe orabat,& multis ab eo precibus petebat,magis dicebat eſt, quod eum ipſe rogaret, quàm quod ille ſe;atque id ab eo impetrare, æquius eſſe : cum ille eſſet cum ex domeſticis,atque intimis familiaribus Pontificis max. ſacrorum regis,Petri ſucceſſoris,Chriſtiq.pręfecti; tum xxxiv.erant anni,cum ſacerdos erat.cubicularius, qui penulatus erat, vt equitauerat, hæc audiens illum miratus, diuinitus loqui,exiſtimauit. Paulanus verò cum maximam fidem ſibi illum non habere,animaduerteret,etiam ſi hæc audierit,candentes carbones tantiſper prēdens, cubiculario porrexit (id qnod fecerat cū Antonio concionatore,quemadmodum ſupra diximus)ſiquis, dicens,diligenter Deo ſeruitu tē ſeruit,omnem,& egregiam operam illi dat: quæq́.Deum velle ſcit,ſedulo facit,omnia nutu à Deo conſequetur;præclarè, reſq́. nouas, inuſitatas,incredibiles, & portēti ſimiles ſuo arbitratu,ſuaq́.voluntate faciet:oīa creata illi obtē-

pera-

perabunt,obediēt,ad nutū parata sunt. Cubicu larius hæc cernens cito seipsum totū, & animū conuertens,ab omni alia cogitatione ad Paulanum traduxit,ad eius cultum,defensionē,& dignitatē tuendam,volebatq.ad eius pedes se ab ijcere,ni Paulanus resistens audacter illi obstiterit.Cubicularius fimbrias vestium osculatus, Romā aliquot post dies redijt,Paulū,& Syxtum Pontifices max.docuit de rebus quæ audierat, quæq.viderat, illum in cælum tollit. ita Paulanus ijs rebus suæ virtutis præcones inuenit, eratq.apud eos etiā,qui seipsum nō norant, nec cernerant,auctoritate nominis ornatus,multū apud omnes Christianos omnibus in locis eius erat nomē.audijt Ludouicus xj.Gallorum rex; & de omnibus à Pōt.max. certior factus; quidquid enim is hac de re certū habebat, ad regē perscripsit;miro b.Francisci Paul.desiderio tenebatur;maximis,amplissimisq.propositis pręmijs,illum è Calabria eliciebat,& inuitabat; ut in Galliā proficisceretur,crebris litteris appellabat.Paulanus,quamuis verbis,spe,pręmijs sollicitatus fuerit,de Calabria tamen sua numquā se mouit.uiuebat enim sine cupidine, & cælestia,superaq cogitās,hæc principum,& regum, ut minima,& exigua contemnebat.rex verò sibi facere satis cupiens,Syxto se commendauit, ad quem accuratè hac de re scripsit,ut gratia,si non caussa apud illum valeret,petijt auxilium, vt b. Franc.Paulanus ad sese veniret. ad quem

Paulanum Syxſtus hominem miſit, ut in Galliam ſe conferret. Paulanus,ne obedientiam relinquere, atque abijcere videretur,Pōtificis max.cui non obtemperare nefas eſt,iuſſu abijt coactus,ſuos oſculatus,& cohortatus, ut conſtantiam,grauitatem,perſeuerantiā retinerent, in viam ſine viatico ſe dedit. quem non ſumma ſenectus,non longitudo itineris,non niues, non viarum aſperitas retardauit. In omnibus opidis cum in Italia,tum in Gallia,Germania, & Hiſpania,vbi pedem ponebat, omnibus hominibus diuturnam,& iucundam nominis ſui relinquebat memoriā; homines infirmiſsima valetudine,uel à ſempiterno hoſte vexatos faciebat ſanos,ex eius dominatu in veterē libertatem,ac dignitatem vindicabat, in antiquum ſtatum omnes reſtituebat.mortuos nonnullos ab inferis excitabat,qua de cauſſa fiebat,vt omnia opida,per quæ iter facturus erat, prope ſedibus ſuis conuulſa quamlongiſsimè poterant, obuiam ei procederent,hoſpitio inuitarent,tēpla ei facerēt. ædificauit ipſe Neapoli ædiculā, quæ hoc tempore regiæ reſpondet, & diuo Ludouico dedicata,refecta,& amplior,maior, ac nobilior facta ab eiuſdem ſocietate habetur. erantq.Neapoli multi ſummi viri,qui hoc factū non probarent,ſed in alia erant opinione,vt in vrbe fiat,ijs prædixit, hanc vrbis partem breui tempore fore celeberrimam,vtq.à prætoribus, ſummiſq.viris habitetur. Rex Ludouicus ut eū
in

in suis tectis cōspexit, immortaliter gauisus, in posterum tempus rectè apud se fore, credens, libenter vidit; hilarè, & bene accepit, sicut sanctissimum virum, atque alterum parentem observabat; in sanctorum virorum numero venerandum esse, & colendum putauit: maximum honorem, ac tantum potius ei tribuebat, quantum ipse nec postulabat, nec vt homo agnoscebat: in eius fidem, & clientelam se contulit. videbat enim, eius precib⁹ Deum cedere, & quę vellet, omnia à Deo obtinere: eius præsentiam fore Galliæ propugnaculum, regni præsidium: quæ spes numquam regem fefellit: cum pestem Paulanus à Gallia auertebat, eam calamitate defendebat, bella extinguebat. quotiescunque rex suis diffidebat rebus, in Paulani fidem, & misericordiam confugiebat. demirabatur, eum sanctissimè viuere, omnes cupiditates frangere, cōprimere, restinguere, immo carere: res cælestes, & graues de religiōe locos illitteratū hominem tractare, sententiam, legesq́. Dei interpretari.

¶ Per omnibus mirum videtur, quammulti ad eius puram sanctæ religionem societatis vndique demigrauerint. multi in eius collegium cooptari, & socios se adiungere cupiebant. libēter, & vltrò in eius numerum adscribebantur. templa socijs construebantur (ut de illis fanis Paulano iuueni in Calabria, tota Italia, & Sicilia factis sileatur) atque enim hoc magis, homunculum

mũculum rudẽ, communiũ litterarum omnino expertem, atque ignarum homines natione & lingua barbaros mouiſſe, in ſuam adduxiſſe ſententiam, & eiuſdem linguæ ſocietate non coniunctum eorum linguam intelligere, noſcere, atque ea loqui. Sedes autem, & domiciliũ Turonibus, vbi rex habitare ſolebat, collocauit. ibi templum publicè, gratis, ſtrenuè eius ſocietati exædificatum eſt. totam denique Europam fere perbreui eius religio occupauit; cum nullorum ſolitariorum hominũ vita æquè horrida, & arida ſit; ſuis interdixit ſocijs, ne veſcerentur carne, ouis, lacte, caſeo, & ceteris, quæ in ſimili genere verſatur, exceptis grauiter ægris, nec pecuniam tangerent, vnis veſtimentis indui, tunicas non habere, voluit, deditq. in perpetuum omnium rerum certa quædam præſcripta, quæ ſeruanti licet ſanctè viuere, Deo carũ, atque iucundum eſſe. eam denique diſciplinã dedit, & viuendi leges, quas ipſe obſeruabat. in alijs præcipiendo, ipſe ſibi exemplo erat. talis ipſe, ijſq. moribus, eaq. mente fuit, quam veritas, & Chriſtiana religio præſcribit: numquã epulatus eſt edit, vel bibit opipare, vel apparatè, ſed omnino modicè ſemper, & intra legem Chriſtianam contemptiſsimis eſcis, & potionibus, pane, inquam, & aqua & cum ſocijs, & ſolus. vinum nec meracius, nec cum aqua ſumpſit. ſemel ſingulis diebus capiebat cibũ, idq. poſt ſolis diſceſſum faciebat. numquam ſolem

occidentem cenatus vidit. cùm corp⁹, & vires amittebat, herbis, & leguminibus ea reuocabat, seq. ita reficiebat. corpus suum durissima opprimebat seruitute; nec vllam fere quietis partem capiebat, cum non nisi ex lassitudine dormiret. in solitudine terra erat ei cubile, apud socios Calabros tabula, in Gallia sarmẽta, uirgis, & funiculis seipsum nocte cœdebat. Vestitu non indulgebat, eo induebatur, non ut frigoris pelleretur vis, uel calorum molestiæ sedarentur, sed ut tegeretur tantum corpus. vestitus erat togatus, vsque ad talos demissus, laneus, asper, plebeius, seruilis, quo homines rusticani indui solent, obsoletus. hæc uestis erat ei tunica, erat toga, erat pallium, caligæ, ocreæ, calcei. numquam eam mutabat, nisi obsoletam, discissam ipse resarciebat. mirabantur omnes, illum vno vestitu tamdiu lautum esse, nec male olere: vestis enim, quæ non mutatur, intolerabili odoris fœditate depellit omnes. Paulanus nec laborans sudauit vmquam, bene olebat, eius odor viuentis, & mortui iucundus, & suauis omnibus erat. Veste hanc ipsam obsoletam, & conscissam post mortem ciuib⁹ suis testamẽto reliquit. fecit hoc, vt aliquid sui monumentum extaret in patria, cum ciues per nuncios, & per litteras maiorem in modum petijssent, atque summè contendissent, vt hoc faceret. cui quidẽ vesti magnus, diuinusq. honor pro tantis, & diuinis in homines munerib⁹ ha-

betur; cū certo ſciatur, multos piè, religioſeq́, illā contingerēt, diuina à Deo munera recepiſſe. ſoccos, caligas, calceos, crepidas, vel ſoleas non habuit, nec vmquam vſus eſt; quamuis eius imaginem cum crepidis videamus. calciamentum erat ſolorum callum. omnia itinera nudatis pedibus confecit uijs aſperis, puluerulentis, æſtuoſis, ineptis, & teterrimis, campos, mõtes, Siciliam, Italiam, Gallias, Hiſpanias, Germaniā hieme, & æſtate peragrauit. tantas regiones pedibus obijt. in equum omnino non aſcēdit: nõ hiemali vi, non itinerum longitudine, non viarum aſperitate deterritus eſt, quominꝰ faceret in omne tempus, cum res poſtularet: cœno nūquam oblitus; nec lapide, arena, glarea, aut ſcrupulo percuſſus eſt. p ſpinas, vepres, dumos, ſaxa, ſilices, niues, pruinas ei patefactū eſt iter. alpes tranſcendit, ſolis ardores, pruinas, niues, hiemalem vim ſine dolore perferebat, numquam his obriguit. frigus, ſitim, famē, montiuagos ſiluestreſq́. curſus patiebatur. ſolis ardore nõ terrebatur, nec algens, aut æſtuans uiſus eſt. otio nūquam languit, ſemper occupatus erat, aliquid agebat, tempus fruſtra numquam contriuit. immortalem fructum ſemper edebat ex ſe, lāguori, deſidiæq́. ſe non dedidit; nec propter deſidiā in otio vixit umquam. à labore inuictiſsimum ſe præſtitit, à uoluptate numquam uictus eſt, immo voluptatum titillatio in eo, ne iuuene quidem vmquam fuit, nullis voluptatum blanditijs,

ditijs, aut aliqua rerum delectatione animum molliuit: nihil vmquam horum Paulanum mouit. homines, dicebat, sub voluptatis regno, vbi nulla virtus consistere potest, mentis aciem ab illis rebus, & ad cælestia erigere nequeunt. nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas hominib⁹ à natura data est, mori mil lies præstaret, quàm hæc pati: omnis præterita voluptas pro nihilo est, quia postea nulla futura est. voluptas abijt, conscientiæ labes remanet. De summa animi, & corporis castimonia nihil in tali viro dicere attinet. fuit eius corpus castissimum, animus incorruptus, quippe qui virginitatẽ suam numquã violarit, nec ore, nec lingua, nec manu, nec vita inquinatus est, totũ toto animo se Christo virginem virgini dediderat, & consecrauerat. libidines domitas habebat, precibus, inedia, pulsatione cohibuerat, ipsum congelasse, & frigore riguisse, arbitratus esses.

¶ Erat iustitia, modestia, humilitate Christiana ornatus, suos socios Minimos omnium religiosorũ, se autem illorum auctorem, & magistrum, quem Generalem vocant, minimorum minimum vocari volebat, adeo humilis, & demissus erat, vt societatis magister infimum religionis locum teneret, omnibus ministraret, triclinia sterneret, ad mensam consisteret, verreret, sordes elueret, tironum, & nouitiorum vestes resarciret, lauaret, seruiliter, & abiectè

omnia faceret; ac officia,& munera omnia ser uilia exequi soleret; hoc, inquiebat, proprium Generalis est, hæc fiebant à Christo, qui omni bus ministrauit, sibi autem ministrari non est passus. magistratus erat verbo eius, re autem sociorum.

Erat præclara, & incredibili ornatus patientia, quam infirmitas valetudinis, summa senectus, itinera, peregrinationes, hominum vexator, tristissimorum temporum atrocitas, perturbationes, rerum difficultates, & alia multa tentauerunt. ijs incommodis, & difficultatibus affectus nihil offendit, nec sibi, nec Deo nusquam incurrit. quidquid accidebat, fortiter, & patienter ferebat, & homini, & Christiano accidisse, meminerat. Extiterunt multi eius virtutis hostes, laudis inuidi; sanctitatis obtrectatores, homines & natura maleuolj, & maledici, qui summam laudem ei dabant vitio, culpæ. omnia maledicta in eius vitam conijciebant. omnia ei tribuebant ignauiæ, stultitiæ, insaniæ, inani ostentationi, simulationi, & dissimulationi. ex ijs, quæ benignus Deus est illi largitus, nonnullorum hominum perfidia aliquid detrahebat, falsa illum opinione, & hominum errore commendatum esse, dicebant. Ipse, quamquam incredibilis erat hominum peruersitas, varijsq. calumnijs res per obtrectatores maleuolentissimos extrahebatur; de vetere tamen illa sua, diuturnaq. sententia his

homini-

hominibus non eſt depulſus: immo quem cur ſum à prima ætate ſuſceperat tenendo, confe- cit. magno, & excelſo animo eos deſpiciebat; patientia mitigabat, & frangebat omnes; ut, tametſi Paulano obtrectauerant, erratum tamen poſtea ſuum agnoſcentes, de ſententia decederent; &, quòd beatum Paulanum offenderint, ſe furiosè id feciſſe, dicerent, atque eſſe ſic locutos, ſe pæniteret: Paulanum cantarent, eius ſummam integritatem, ſingularem innocentiam, virtutes, laudes celebrarent, eius factorum eſſent prædicatores. Animo ſemper ſic excubabat, ut nihil improuiſum ſibi accidere potuerit, in corporis, & animæ vigilia manebat, & ſtabat; nuſquam diſcedebat, oculos à Deo non deijciebat, ne hominum vexator vim aliquam inferret, vel malum aliquod ſibi accideret, vel in animum irrumperet, & in ſenſus, & in mentem irreperet. nullus aditus relictus erat fraudi, inſidijs, maleuolentiæque hoſtium, qui infirmitatem noſtram tentare, & in fraudem impellere nos ſolent; omnes obſtricti erant. itaque integrum ſe, caſtumq. ſeruauit.

¶ Vita horrida, & in ſolitudine acta erat ei cordi, omne ſolitarium amabat, celebritatem oderat, homines fugiebat, à corpore, ab omni negotio, tamquam contagione terrena ſe ad Deum ſeuocabat. apud ſocios hortus erat ei ſolitudo, & receſſus, quem alijs, non

ſibi, Deum animo intuendo, & precando, colebat; non parum tamen humanitatis habuit: ad ſe enim adeuntes hilarè excipiebat, ſummam humanitatem, ſumma cum ſeueritate iuncta tribuebat. erat moribus ita temperatis, moderatis, & ſuauiſsimis, ut nemo eius congreſſum, vel facilitatem deſiderauerit; niſi forte cum altè ſpectaret, & ad cælum contueretur. nemo temperatior, nemo iuſtior, nemo ad lenitatem propenſior, nemo comodior, nemo comior, nemo moderatior ad omnem humanitatis rationem. Paulanus in omni ſermone omnibus erat affabilis, eius comitas, & ſermonis affabilitas hominum conciliabat animos, qui ad illum adibant, eius admirabili, melle dulciore, ſuaui, & miti oratione delectabantur, ducebantur, & voluptate quadam perfundi fatebantur. credebant, aſſentiebantur, probabant quæ ab illo dicebantur. ægris vel animo, vel corpore ſubueniebat. eius auxilium fruſtra nũquam implorauit aliquis. ſuperbis, quiq. inſolenter efferebant ſe, mortalem, incertam, & miſeram, qua nati ſumus, condicionem demonſtrabat. uitamq. noſtrã omnibus fortunæ telis propoſitum eſſe; quæq. non poſſumus recuſare, hominibus ſolere accidere. afflictos miſeros, fractos, calamitoſos, ærumnoſos erigebat, recreabat, conſolabatur, fletum, moleſtias, ægritudines, dolorem abſtergebat, in Dei exſpectationem adducebat, de

diui-

diuitiarum, & rerum humanarum omnium contemptione, ac despicientia Christianè, & diuinitus cum ijs loquebatur; ut consequendæ, colendæq. virtutis, & amplectendæ religionis studio omnes incenderet, quantum deniq; poterat, omnes adiuuabat.

Dei contemplationem omnibus rebus anteponebat. consideratio, dicebat, & cōtemplatio Dei est naturale quoddam nostrorum animorum, quasi pabulum. hæc est vera, & perpetua voluptas, hæc felicitas, & summa beatitas. homo Dei contemplator præ ceteris hominibus est profectò tamquam qui ex alta turri homines humi iacentes, stratos, ambulantes despiceret; hos ut pusillos, & seipsis breuiores (sic enim videntur, licet non sint) aspiciēdo cōtemneret. Deus ceteras animantes abiecit ad pastum; solum hominem humo excitatum celsum, & erectum constituit, & ad cæli, quasi cognationis, & domicilij pristini cōspectum excitauit, vt cælum intuens, Dei notionē possit capere. sunt enim è terra homines, non ut incolę, atque habitatores, sed quasi inquilini spectatores rerum superarum, atque cęlestium, quarum spectaculum ad nullū aliud genus animātium pertinet. Hæc & alia Paulanus dicebat; qui dū animo Deum contemplabatur, biduum, vel triduum, ita ieiunus erat, ut ne aquam quidem gustaret, & hoc nimium sæpe faciebat: socij, tridum eum inediam ferre testabantur. nam;

cùm cibum, hoc eſt, panem, & aquam in eius cubiculum introferrent, poſt diem tertium quæ tulerant, integra reperiebant. eius animus ad Deum, cælum, eius pulchritudinē contemplandum intentus erat. ante lucem ſurgebat, diluculo in templum veniebat ad Deū precandum, dabat deinde operam ſacerdotibus preces tum legentibus, tū memoriter pronunciantibus, ut in templis quotidie fieri ſolet. factis rebus diuinis, in cubiculū ſe recipiebat, memoria repetebat omnia, & memoriter enunciabat quæ in templo audierat: deinde cæleſtia, quæq; conſideratione digna ſunt, ſummo otio ſecum ipſe conſiderabat, & contemplabatur. ad hæc auiditate inflammatus, cura, & omni ſtudio rapiebatur. hoc interim ſpatio cæleſtes Dei miniſtros ad eum deſcendere, & vnà Deo carmina canere, ſocij audiebant, qui ſæpe extra fores erāt, & illis canentibus operam dabant, & dulcem ſonum efficere concentum, & aures ſuas, aſſeuerabant, complere. hac voluptate, his rebus cum frueretur, ſtatoribus, qui ad fores cubiculi clauſas adſiſtebant, & Carolum VIII. Gallorum regem aduentare, atque prope adeſſe, clamabant, præ cæleſtibus omnia terrena irridens, & contemnens nihil reſpondit. à ſacerdote deinde cum de omnibus confiteretur, quid fuerit cauſſæ, cur Regem in cubiculum non admiſerit, interrogatus, de hac

ipſa

ipſa re narrauit, & ſe indicando rem demonſtrauit.

Habuit diuinationem, eratq. in eo quiddam diuinans, & præſentiens, nec vmquam errauit; prædixit enim maximè Aloyſiæ Franciſcũ II. Regem ſe generaturá. Neapolitanis, quod ſupra diximus, eam vrbis Neapolis partem, vbi templum ipſe ædificabat, quæ vrbis ſentina eo tẽpore erat, fore celeberrimam, utq. à ſummis uiris habitetur, multis ſcelere aſtrictis, quos per ſe turpitudo ipſa fœditate ſua non deterrebat, nec maleficiorum, magnorumq. delictorum conſcientię ſtimulabant, & ſcelera ſua in occulto latere credebant, commiſſa enunciabat, de quibus cum illis tantùm loquebatur, ſe ſua conſcientia eorum ſcelus, & fraudem conſtrictã tenere dicebat; culpæ conſcios indicabat; ut multos à turpi conſilio, à furore, à ſcelere à morte ad uitam; à deſperatione ad ſpem ſua uoce, ſuiſq. uerbis reuocauerit.

Fuit ad reſpondendum promptus. quodam tempore erat Paulæ, ad templi, cuius aditus apertus erat, valuas adſiſtebat, ecce qui e littorum manibus fugerat, innocens ſe capitis accuſatum demoſtrat Paulano huius rei non inſcio; & ſe, uitamq. ſuam ei religiosè commendauit; hoc vnum extimeſcens, ne in carnificum manus incideret, in quæſtione aliquid falſi tormentis dicere cogeretur. Paulanus permiſit, vt in templo reus deliteſceret. quo uix ingreſſo

apparent,

apparent, præstoq. sunt littores, qui reum de manibus amiserāt, ex Paulano sciscitantur de malefico, qua iuerit uia. dubitabat Paulanus quid sibi esset agendum, cum sciret, nihil esse caussæ, cur christianus uir mentiatur. hoc nobis concessum non est, quamuis nos ipsos, parentes, vniuersi generis humani societatem in extremum uitæ discrimen uenisse, uideamus. itaque cum verebatur, ut reus innocēs torqueretur, & damnaretur fortasse, vel intormentis necaretur, tum in eo liberando, orationis uanitatem adhibere nolebat. utrumlibet eligatur, utrumque pessimū est: sed ipse quod neutrum est, effecit: manus enim in uestis manicam immittens, dixit. *Nemo per hanc iter fecit.* & hoc quidem gestu effecit, ut solemus, cum uiam alicui monstramus. ille de vestis manica loquebatur, non de uia, ut littores interpretati sunt; hac erat mente: nam illud uerbum, Hanc, in utrāq. rem ualet. sed littores uerba, non rem spectantes, finem rei persequendi fecerunt, & ita esse, sibi persuadentes redierunt ex itinere. nam Paulanus maxima auctoritate omnia dicebat, omnia ei credebantur, eius auctoritas semper apud omnes multū ualuit; nisi, si quid rē, atq. dictū inopinatum, aut incredibile facturus esset. ita Paulanus innocentem, qui non procul aberat à periculo, integrum, incolumemq. seruauit, nec à mendacio contra verum stetit.

Statura

Statura non fuit excelsus. corporis mediocris habitus, forma illiberali, vultu agresti, corpore aliquantulum curuato, naso leuiter depresso, bene capillatus, & barbatus, capillo, & barba horrida, robustus, & ualens. ibat cum bacillo semper, præsertim senex.

In hac uitę perpetuitate sanctissimè actæ sibi ipse semper cõstitit, nec ullo in officio claudicauit, a sese numquam discessit. sibi ipse durum & agrestem se præbebat, ut nec austerior, nec grauior esse potuerit; tamen socios ab errore auertebat. qui contra legem christianam cõmiserant, & seipsi corrigebant, tanta pœna eos afficiebat, quanta æquitas, & humanitas christiana patitur. pœna semper erat minor, quàm culpa. nihil acerbum, nihil amarum, nihil crudele in illo erat, omnia clementiæ, mansuetudinis, & humanitatis plena. cuiusuis, inquiebat, hominis est errare, nullius in errore perseuerare, nisi insipientis.

Cum decurso huius vitæ spatio mortem sibi appropinquare, & tempus iam esse, quo Deus coronam sibi imponeret, animo sentiret, socios omnes, qui Turonibus illo erant tẽpore ad se uocatos ad cõcordiam primum cohortatus est, ut concordissimè uiuerent: caritas, quæ inter ipsos erat, nulla dirimeretur re: mutuam sociis uoluntatem tribuerent: sanctæ societati, & religioni, qua se ipsi abstrinxerãt, seruirent, ab ea numquam declinarent: con

ſtanter in eo ſtatu manerent; animoſè grauiter, ſimpliciter, fideliter, ac vitæ hominum amicè viuerent, liberè, & conſtanter ſe gererent. religioſorum verecundiam, leges, & ſeipſos integros, & caſtos ſeruarent. magnum quiddam ſuſceperunt ac profesſi ſunt, nec contra facerent, quàm profesſi, & polliciti ſunt, nec pecuniæ auiditas vmquam eos teneret: cum nullũ ſit vitium tetrius, quàm auaritia, & nihil tam ſanctum, quod non aliquando auaritia cõminueret, & uiolaret. religionis magiſtros, ſicut alterum parẽtem obſeruarent, diligerent, amarent. quòd ſi ab hac mente non diſceſſerint, ſanctitatis exemplum omnibus erunt; piorum, ſanctorumq. ſedem, & locum conſequentur. dein de nominatim protulit ſucceſſorem, qui vicarius ſuo munere ſuccederet, ſuas partes ab ea hora ſuſciperet vſque ad annum, cum omniũ ſociorum concilium Romæ habebitur; totius ſocietatis magiſter delectus, cunctis vniuerſæ ſocietatis ſuffragiis fiet. Hac erat Paulanus prouidentia, caritate, amore, atque pietate, ut viros qui in fide, clientelaq. ſua erant, poſt mortem curæ haberet: ſicut prouidus, piuſq. parens, qui filiorum curam abiicere nolit. Hanc vitam egerat, eratq. idem beatus Franciſcus Paulanus, qui fuerat ſemper, cum annos natus XCI alacer, ac omnibus lætitiis lætus, tota enim eius vita fuit commentatio mortis; & pridie eius diei æſtu febriq. quartum diem

iacta-

iactatus pedibus in templum iuiſſet, & cum ceteris ſociis corpus Chriſti cepiſſet, Turonibus migrauit cælum IIII. Non. April. anno poſt natum Chriſtum MDVII. Pontifice maximo Iulio II. regnante Maximiliano Auſtria, in Gallia Ludouico xij. Neapoli.

Dies hic Chriſtianis erat funeſtus, cum eo die necis Chriſti memoriam ſacris anuerſariis ſumma religione colerent.

Illico fama à Turonibus manauit, beatum Franciſcum Paulanum vixiſſe: conſtabatq. iam inter omnes, tum inde tutam, & beatam cum Deo vitam in cælo uiuere. tota Gallia fere Turones conuenit viſendi cauſſa corporis beati Franciſci Paulani non dum humati; nam vndecim ipſos dies hanc ob cauſſam in templo inſepultum iacuit ſemper bene olens. uenerabantur, obſculabantur omnes illud corpus, in quo multos annos diuinus ſpiritus inſederat. Paulanũ appellabant, & ei ſe ſubmittebant, ſupplicabant, eius fidem implorando, petebant; ut quorum miſericordiam viuus in terris ceperat, nunc beatus in cælo eandem iis tribueret, & impartiret: nec ſine cauſſa faciebant hoc: plurimas enim res per illud corpus impetrabant: quicunque ſe Paulano commendabant, auxilium habebant, ſubleuabanturque ab eo. Paulanus præſens ſuo nomine, ſuoque auxilio illos defendebat; opem, & ſalutem omnibus indigentibus ferebat. cæci,

muti,

muti, à sempiternis hostibus uexati, elephantiaci, claudi, debiles, ægri sanabantur. data est sanitas multis, qui inciderant in insaniā. uesani, furiosi, animam agentes à furore à morte reuocabantur; non solum eo in loco, sed ubicunq. terrarum Paulanum inuocabant. fiebāt denique ea, quæ olim minus, uel insolenter, & raro facta esse, ac contigisse, scimus. is enim b. Paulanus est, qui omnium, Deo adiuuante, casum leuat, omnibus subuenit, ita cuiq. potissimum auxiliatur, ut is maximè opis indigeat, & sibi fiduciam habeat.

Ad nostrum institutum non pertinet, omnia miracula, & ostenta, quæ Paulanus, tum in hac uita manens, tum profectus fecit, dinumerare, citius, ut aiunt stellas: si quis tamen ignorat, & aliqua ex parte cupit ea cognoscere, loquatur cum ciuibus Paulanis, vel ex diplomatibus, priuilegiis, & ex actis publicis, vnde hæc deprompta sunt, scire poterit, quæ omnia scripta sunt, cū Leo X. Pontifex max. quæstionē tulit, ut de b. Francisco Paulano quæreretur, & à grauissimis uiris, Cardinalibusq. de his reb⁹ legatis de omnibus rebus doctus, antistitum, Cardinaliumq. decretum, quod secundum b. Franciscum Paulanum factum erat, probauit Kalend. Mai. cIↃ. IↃxix. & suo chirographo, suoque signo vsus confirmauit, & nominatim de ipso beato Francisco decreuit, ut in sanctorum quos vocant confessores dnp. mai. numero à

chri-

christianis ueneraretur, & coleretur, eiusq. dies festus anniuersarius agitaretur IV. Non. April. quo die ex hac uita cedens, in cælum ascendit. ubi sempiternum æuum agit, fruitur æternitate, & immortalitate à Deo sibi donata, summoq. bono, & uita beata, atq. Dei conspectu, animo quieto, & tranquillo. quòd, ipso beato Francisco Paulano precante, Deus omnibus christianis concedere, & tribuere, atque ex miseriis nos eripere, & angustiis educere, à calamitate, & à calamitatis metu defendere uelit. id quod nostris peccatis, nostrisq. uitiis venit: & errorum, delictorum, facinorum, & maximorum scelerum uenia, impunitate, atque culpæ liberatione data, quietã, æternam, sine vlla contentione traducamus ætatem: & ex hac turba, & colluuione cum discesserimus, securi hinc ad illud diuinorum animorum cõcilium, cœtumq. proficiscamur.

Oratio.

Deus humilium celsitudo, qui b. Franciscum de Paula confessorem tuum sanctorum tuorum gloria sublimasti, tribue quæsumus, ut eius meritis, & imitatione præmia humilibus promissa feliciter consequamur.

Alia Oratio.

Deus, qui superbis resistis, & humilibus gratiam tribuis

buis, & audi preces nostras, & intercedente b. Francisco de Paula confessore tuo, da nobis alta non sapere, sed maiestati tuæ humili corde semper seruire.

Alia Oratio.

Seruitutis nostræ tibi domine iura soluentes, quæsumus ut b. patris nostri Francisci de Paula Confessoris tui patrocinio suffragante in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis.

Laus Deo in Sanctis eius.

Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit.


DAVID ROMAEVS S. D.
F. F. S. Præceptori ſuo.
B



Ibellus noſter de ſanctorum Neapolitanorum rebus propediem iiſdem adiuantibus, exibit, me quidem inuito; cum nec corrigere, nec ad te mittere licitum nobis fuerit. hic ſi in manus tuas peruenerit, velim non vt opus elegans, & perfectum, verũ vt Romæi auditoris, & diſcipuli tui legas, & gratię cauſſa ex animo ſuffragere, & ſanctos noſtros probes. vehementer equidem te gauiſurum, & quidquid a me profectum ſit, iucundum tibi fore, putamus: glorioſum enim tibi erit, me iuuenem tuæ diſciplinæ alumnum in litteris, atque humanitate aliquid profeciſſe. rurſum, cum dicendi, & ſcribendi conſuetudinem, conſilium, ſententiam, mentem, uoluntatem, omnia denique in meliorem partẽ nos mutaſſe, intelliges; uehementer admirans manus ſæpe tolles, clamorem cum admiratione edes, &, Quantum, inquies mutatus ab illo. ſic doctor eruditisſime viuitur. omnia fert ætas, animum quoque. Nos Deo, à quo bona cuncta procedunt, omnia tribuimus, & accepta referimus. hanc vero noſtram, ſi modo eſt aliqua laus, ad te libenter transfundimus, ex maiori parte tua eſt. quæcunque enim à te in nos profecta ſunt ornamenta. tu me duobus

annis informasti, qualis essem. I. P. Flauij extrema huic operi tuo manus accessit. plures audiuimus; sed nemo tecum, nemo cum Flauio, quem mortuum amamus, & obseruamus, cóparandus est. omnes, quod bona illorum venia dixerim, de populo fuerunt: vtrique autem vestrum semper tribuam plurimum, vobis primas, vobis secundas omnium meorum doctorum dare soleo. in hoc apud omnes mihi gloriabor. uestri memoriam summa cum beneuolentia, ita ij sancti perpetui nostri sint defensores, tenebo. cuius rei testimonio sint litteræ heæ, quas testimonij caussa in hunc librum, ut edantur conieci. Hæc ex meis litteris tibi cognoscenda iudicaui; ne cum parem tibi pro beneficio gratiā referre nequeam, ingratus in te videar, nihil enim atq. ingrati animi crimē horreo. Vale Idib. Ianuar. cIↃ.IↃlxxi. Neapol.

DAVID ROMAEVS S. D. Christiano Lectori.



INstituentibus nobis hos sanctos conscribere, nihil prius emitten dum, putabamus, quàm, vt omnes, quos scribere habebamus in animo, describeremus. id quod quattuor libris consequi arbitrabamur.

1 Primus ut esset de sanctis custodibus Neap. quos patronos Neapolis vocant.

2 Secundus de iis, qui Neapoli humati sunt.

3 Tertius de iis, qui nati, vel mortui, vel humati sunt in regno Neap.

4 Quartus eos complecteretur, qui cum omni officio, & pietate erga Deum sanctissimè viuendo, omnibus satisfecerint, & in sanctorum immortalium cœtu, ac numero adhuc à Pontificibus max. non sint repositi, Beati appellantur. Euenit, ut nonnulli viri, quos colimus, & obseruamus, id à nobis vt hæc tantum de sanctis custodibus Neapol. ederemus, efflagitauerint. vix Thomam Aquinum, & Franciscum Paulanum adiunximus. quare nos coactu, efflagitatuq. illorũ, quibus nos qđ denegare possemus, nihil est, instituta perficere non potuimus. quæ restant, quoniam longa sunt, nec prætereunda, biennio, ad summum triennio, nos, ipsis sanctis adiuuantibus, confecturos speramus. itaque cum multos esse in hoc

Regno,certoſciamus, nec illorum uitas adhuc legimus, uel quomodo iſtæc in loca translati ſint.nos eos omnes,quos in his locis,uel fama, vel auditione tantùm accepimus, infra ſcribemus, ſeparatim ſuo nomine notabimus, ipſarumq; inſcriptionum voce proponemus. Hæc te Chriſtiane lector ſcire uoluimus, ut ſi forte libellus hic noſter in tuas manus peruenerit,& aliquem ſanctorum virorum in tua patria, uel vſpiam natum, vel humatum eſſe ſcis,vel certi aliquid de aliquo ſanctorum habes, ad nos Neapolim mittas. non in latebras nos coniecimus;nec, Dei benignitate, in occulto latemus. quod ut breui tempore facias, te rogamus, & per ipſos ſanctos obſecramus. quid enim de nobis futurum ſit, Deus ſcit. gratiam vero non à nobis ſolum, ſed ab ipſis etiam ſanctis inibis,à quibus ſatis, ſuperq. tibi fiat. Vale. Idib. Ianuar. ciↃiↃlxxi. Neapoli.

INDEX SANCTORVM Virorum, qui nati, uel humati sunt in regno Neapol.

¶ In Bruttijs.

Septem socij S. Francisci Asisin. martyres Apud S. Stephanum Carthusianorum.

Bruno auctor carthus.

¶ In Campania.

Capuæ.

Priscus Pōt. Cāpanus.

Nolæ.

Felix Pont. Nol. mart.

Paulinus Pont. Nolan.

Maximus Pont. Nol.

Patritius pont. Nol.

Felix in Pincis mart.

Puteolis.

Proculus mart. discipulus S. Ianuarij.

¶ In Hirpinis.

Prope Abellinum, seu Potropos Hirpinorū In æde Mariæ Virg. sociorū S. Guilielmi, vbi dicitur Mons Virginis.

Corpora Sanctorum martyrum.

Corp⁹ S. Festi diac. m̄.

S. Desiderij subdiac. m̄.

Victoris episc. mart.

Modesti episc. mart.

Crispi episc. mart.

Mercurij militis mar.

Hermolai mart.

Nicandri mart.

Potiti mart.

Liani mart.

Mauri mart.

Sanctorum mart. Iasosonis, Mauri, Crispi.

Trium puerorum, s3. Sydrach, Nisach, & Abdenago.

Corpora sanctorū Pōtificum, & Confessorum.

Barba

Barbati cōf.& Archie-
piſcopi Beneuent.
Deodati epiſ. & conf.
Secundini epiſ. & cōf.
Conſtantij epi, & cōf.
Martini epi, & conf.
Marci confeſſ.
Corpora Sanctorum
Abbatum.
Paſchaſij abbatis.
Marci abbatis
Iulianæ virg.& mart.
Item,membrorū,ideſt
corporum ſanctorū
partiū,criniū,ſangui-
nis, veſtiū amplius q̄
lxx.arculas plenas ibi
dem eſſe vidimus, ſe
paratim ſuo nomine
notatas legimus xv.
Kal.Mai.M.D.LXX.cū
pietatis cauſſa illò
nos contulimus.
A Tripaltæ prope fon-
tem Aufidij.
Hippolyti ſacer. & m̄.
Sabinus.
Romulus.
In S. Gulielmo prope
Sepinum.

Gulielmus. Bene-
dictinus auctor ſocie
tatis Montis virg. qui
migrauit ad cælū vij.
Id.Iunij. 1142. regni
Rogerij 12.Ind. v. ci
tamen dies feſtus an
niuerſarius agitatur
vij.Kal.Quinctil.
In Caſsino monte.
Benedictus Abbas.
Berthonius.
Scholaſtica virg. ſo-
ror S. Benedicti.
In S. Germano prope
Aquinum, &
Caſsinum.
Germanus abbas.
¶ In Latio, nunc Cam-
pania. Caietæ.
Eraſmus eps, & mart.
¶ In Magna Græcia.
Scylacæi.
Agathius mart.
Vitus mart.
Gregorius mart.
Roſciani.
Quattuor mart.
Tarenti.
Cathaldus pōt.Tarent
In

¶ In Pelignis.
Liberator episc.
Ortonij.
Thomas Apostolus.
¶ In Peucetia.
Barij.
Nicolaus Pont. mir.
Canusij.
Sabinus episc. Canus.
Trinij.
Nicolaus Peregrini.
¶ In Picentinis.
Amalphiæ.
Andreas Apostolus.
Caueæ.
Adiutorius pont. Cau.
Nuceriæ.
Priscus pont. Nucer.
Salerni.
Matthæus Apostolus.
Anthes
Caius Pont. Salern.
Fortunatus
Surrenti.
Antoninius conf. iiij. Non. Febr.
¶ In Salentinis.
Brundisij.
. . . . , . . ¶ Vriæ.
Franciscus Dyrrhachinus ex societate S. Frãcisci Assisiatis.
¶ In Vestinis.
Amiterni, vel Aquilæ.
Bernardin⁹ Senẽsis, ex societate S. Francisci Assisinatis.
Petri Moroni, seu Cęlestini Pont. max.
Victorin⁹ epis. & mar.
Maximus.
Quitius.

INDEX LIBRI Quarti.

Beatorum.

¶ In Brutijs.
Paterni.
Thomas conf. soci⁹ S. Francisci Paulani.
Philocastri.
Ludouicus cõf. auctor Capucinorum.
¶ In Campania.
Neapoli.
Iacob⁹ Picen. ex societate S. Francisci Assis.
¶ In Daunia.
Luceriæ.
Augustinus Pãnon⁹ Dominican⁹ Põt. Lucer.

In

¶ In Magna Græcia.
Suberati.
Francisc⁹ ex Societate
sancti Augustini.
¶ In Pelignis.
Nicolaus Forchesius
vir solitarius.
¶ In Peucetia.
Bitetti.
. . . . . ex societate
S. Francisci Asisin.
¶ In Picentinis.

Caueæ ad Trinitatis.
Alpherius Salernitan⁹,
primus abbas. prid.
Idib. April.
Leo Tuscus 2. abbas.
iiij. Idus Iulij.
Petrus affinis Alpherij
iij. abb. iiij. Nō. Mar.
Constabilis iiij. ab. xvj.
Kal. Mart.
Marinus Lucanus ab.

FINIS.

Registrum.

a A B C D E F G H I K L M N O P.

Omnes sunt quaterniones præter P, quæ est duernio.

Impressum Neapoli, Apud Iosephum Cacchium. Mense Ianuario M. D L X X I.